

A1-5-8



20025  
B 2320

que contiene este Tomo primero.

Algunos Autores afirman, que murió con nuestro Santo Habito en el año de mil ducientos y catorze, y que está enterrado en nuestro Monasterio Aberdonense, 353. num. 27. & seq. Fundò tambien nuestro Convento Barrense, en Escocia, 398. num. 32.

Vulcano, Rey de Dalmacia, y Dioclia, su piedad, y Religion: embia sus Embaxadores al Papa Innocencio Tercero, 107. num. 7.

**Z** Afro, piedra preciosa, de quien dizen, tiene virtud para dár à los Cautivos libertad, 407. num. 11.

Zefiro, quando este viento corre suavemente, canta el Cisne, 501. num. 20.

Zelo de nuestro Padre san Juan en dilatar por el mundo su Religion, y en sollicitar la Redempcion de los Cautivos Christianos, 169. num. 2.

L A V S  
D E O.

5

IVAS DE BO

LIBRO DE LOS...

N

51

20025

TRACTATUS  
THEOLOGICUS,  
DE CERTITVDINIS GRADV,  
quem, infra fidem, nunc habet Sententia  
Pia de Immaculata B. Virginis  
Conceptione.

AUTHORE  
R. MO P. M. THYRSO GONZALEZ  
è Societate Iesu, in Salmanticensi  
Academia Primario S. Th.  
Antecessore;

NUNC  
PRÆPOSITO GENERALI  
eiusdem Societatis.

Anno



1688.

CUM FACULTATE.

---

MATRITI: Ex Typographia Joannis Garciae Infançon.

TRACTATUS  
THEOLOGICUS  
DE CERTITVDINIS GRADU

quod in his h[ab]et h[ab]ere h[ab]ere h[ab]ere  
Pia delinaculata B. Virginis  
Conceptione.


AUTHORE

R. MO. F. MARTIÑO GONZÁLEZ

é Societate Iesu, in Sabanicensi  
Academia Prætorio S. Th.

Antecessore

NUNC  
PUBLICATO GENERALI  
in Societate.



1888

Anno

CUM FACULTATE

MATRIT: In Typographia Joannis G. non impresso.

**A**NDREAS REGVERA, IROVIN-  
cialis Societatis Iesu in Castellar a  
Provincia, potestate ad id mihi facta à R.  
admodum P. Carolo de Noyelle Præposito  
Generali, facultatem facio, vt *Tractatus*  
*Theologicus de certitudine, quam, infra fi-*  
*dem, habet nunc sententia pia de Immacu-*  
*lata Virginis Conceptione* à P. Thyrso Gon-  
çalez noltra Societatis, Sacræque Theolo-  
giæ Professore compositus, & eiusdem So-  
cietatis gravium, Doctorumque hominum  
iudicio approbatus, typis mandetur. In quo-  
rum fidem has literas manu nostra, & Se-  
cretarij nostri, subscriptas, & sigillo nostro  
munitas dedimus In Collegio Montisfor-  
tis, die vigesima octaua Iulij, anno millesi-  
mo, sexcentesimo, octogesimo sexto.

*Andreas Reguera.*

Loco & Sigilli.

*Balthasar Rubio,*  
Secretarius.

*APPROBATIO ILLVSTRISSIMI DOCT.  
D. Dominici de Orueta in Academia Salmanticensi  
olim Sacræ Theologiæ Primarij Antecessoris,  
nunc Almeriensis Antistitis, &c.*

**D**E mandato Eminentissimi Domini D. Petri de Salazar, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis amplissimi, Episcopi Salmanticensis, & electi Cordubensis, avidè, & diligenter perlegi Tractatum, *De certitudinis gradu, quem, infra fidem, habet nunc sententia pia de Immaculata Virginis Conceptione*, compositum à Reuerendissimo Patre Magistro Thyrso Gonçalez de Santalla è Societate Iesu, Sacræ Theologiæ Doctore, & nostræ Salmantinæ Academiæ meritissimo, atque emerito Antecessore Primario. Quid ni verò avidè perlegerem, Mysterij dulcedine, atque amore quoque tanti Authoris allectus? Fermè nunquam indulsi largiùs voluptati, qua vtrique captus, adeò cupidè percurri cuncta, vt penè ad calcem priùs pervenisse, quàm è limine, aut è limite egressum me adverterim. Ea enim argumenti huius grata maiestas est, vt pijs Magnæ Matris cultoribus facillè suadeat, & commendet certum, & celsum puritatis gradum, postquam Doctissimorum sensus, atque Oracula Pontificum aquilinâ acie inspexerunt in Mariano innocentiaè limpidissimo Sole maculam non esse vllam, quam veritatem novis luminibus, in altiorem Mariani cœli gradum elatis, illustrat selectum hoc præclari Authoris opus, eruditione & acumine par alijs selectæ Theologiæ corporibus, prælo iam & luce animatis, atque usu omnium probatis. Is enim Author est, vt cuncta complexus, vnumquodque coluerit genus disciplinæ, Theologiæ, Expositivæ, Dogmaticæ, Ethicæ, Asceticæ: & in vnaquaque emineat, quasi nihil prætere-

reà

reâ præstiterit. Coruscant verborum fulmina, cum or-  
 tonat Deum: emicant verborum lumina, cum in lyceo  
 disceptat, & vendicat disciplinas: currunt verborum  
 flumina, typorum & chartarum marginibus cincta. Au-  
 dientium mentes illuminat, & simul incendit Doctor  
 pariter ac ductor. Ore quidem magnus, calamo ma-  
 ior, vitâ & opere maximus, *Qui tot annis continuis simul*  
*splendet claritate virtutis: & quamvis rara sit gloria, non*  
*agnoscitur tam longo tempore stemmate variata. Seculis*  
*suis producit nobilis vena primarios. Nescit inde aliquid*  
*nasci mediocre: tot probati, quot geniti, & quod difficilè*  
*provenit, electa frequentia. Aureum quidem sæculum,*  
 quod tulit Primarium hunc Authorem: fortunata Aca-  
 demia nostra, quæ nacta est Primarium hunc Anteces-  
 sorem: Societatis nobilis vena, quæ hac ætate enixa est  
 Primarium virum, & filium, quo gaudet, & vernat. Ele-  
 cta quidem Heroum Societas, & quod difficilè prove-  
 nit, in electâ virorum frequentia selectus & Primarius  
 Thyrsus, qui plus re quàm nomine selecta opera edit;  
 & hoc quidem Immaculatæ Conceptionis Marianæ  
 opus valde selectum acumine, eruditione, testimonijs,  
 momentisque argumentorum ponderosum & grave.  
 Mysterium cœlestis innocentia colit opus istud cœle-  
 ste, & profert nova ex antiquitate, atque novis colori-  
 bus reflorescere vetera facit. Antiquus itaque, & recens  
 Author, non tam à vetustate præterita, quàm ab æterni-  
 tate futurâ. Non enim cuncta illuxere veteribus, sed  
 multa posteris quoque servata sunt. Pristinis sæculis  
 segnius, hoc ævo clarius affulsit Doctoribus Sol verita-  
 tis, & Immaculatæ Conceptionis Marianæ veritas, quæ  
 demum firmo certitudinis gradu statuitur in hoc præ-  
 senti opere. Cuius utique methodus, & distinctio rerum  
 ordine recto digesta apparet, non tumultuariè conge-  
 sta. Loquendi mira maiestas, & grata verborum con-  
 cia-

*Cassiod.*  
*lib. 3. Ep.*  
 6.

cinnitas: non compta oratio, nec tamen sordida: non  
lenocinijs fucata, sed leni, & æquabili tractu perpolitata:  
ardens, & excitata potiùs quàm deiecta: aliùs quàm  
vox tollitur sensus, qui tamen non dispáret, sed gra-  
tior apparet gravitate sermonis. Quapropter hoc Au-  
thoris opus cunctis sapientibus, & severiore ingenio  
pollentibus gratum semper erit: & nunc dignum emit-  
ti ab umbra in Solem, à prælo in lucem, censeo. Sal-  
manticæ, ex Musæo nostro. Die 12. mensis Octobris  
anno Domini 1686.

*Doct. D. Dominicus de Orueta.*

PE.

**P**ETRVS DIVINA PROVIDENTIA SANCTÆ  
Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Salazar, Episcopus  
Salmantinus, & in Cordubensem Ecclesiam & Dice-  
cesim electus, Regiusque Consiliarius &c. Cum, ex præ-  
scripto nostro, Doctor D. Dominicus de Oructa, Ca-  
nonicus Magistralis huius nostræ Sanctæ Ecclesiæ Ca-  
thedralis, & in hac Salmanticensi Academia primariæ  
Cathedræ Sacræ Theologiæ Moderator, perlegerit li-  
brum, cui titulus *De certitudinis gradu, quem infra fi-  
dem habet nunc pia sententia de Immaculata Virginis Con-  
ceptione*, Authore R. mo P. M. Thyrso Gonzalez, ex  
Societatis Iesu, eiusdem Salmanticensis Academiæ iam  
diu primario Theologiæ Professore; ac dignum luce  
publicâ invenerit, neque quidquam in eo deprehen-  
derit, quod Orthodoxæ fidei, aut probatis moribus  
dissentiat; libenter annuimus, ut typis manderetur. Au-  
spicamur enim Opus ita Pium, Copiosum, Eruditum,  
ac Solidum, magnopere profuturum publicæ disci-  
plinæ, vniuersaliq; Ecclesiæ. In cuius gratiam præ-  
sentes litteras manu nostrâ subscriptas, & sigillo muni-  
tas, & à nostro Secretario signatas, dedimus. Salman-  
ticæ, die decimaquinta mensis Octobris, anno Domini  
millesimo sexcentesimo octuagesimo sexto.

*Cardinalis Salazar.*

*Mandato Emin. D. mei Cardinalis Episcopi.*

*D. Marcus à Campo & Venea.*  
Secretarius.

LI.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

**N**OS el Lic.D. Alonso Porrillo y Cardos, Dignidad de Chantre de la Iglesia Colegial de Talavera, y Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido, por el Eminentísimo Señor Cardenal Arçobispo de Toledo, &c. mi Señor. Damos licencia, para que por lo que à Nos toca se pueda imprimir, è imprima el libro intitulado: *De certitudine Mysterij Conceptionis*, compuesto por el Reuerendissimo P. Doctor Thyrso Gonzalez de Santalla, Preposito General de la Compañia de Jesus, atento está aprobado por el Ilustrissimo Señor Don Domingo de Orueta, Cathedratico de Prima de Salamanca, y Obispo electo de Almeria, y consta no tener cosas contra nuestra Santa Fè Catholica, y buenas costumbres. Dada en Madrid à siete de Septiembre de mil y seiscientos y ochenta y ocho años.

Lic.D. Alonso Porrillo  
y Cardos.

Por su mandado.

Domingo de Goitia?

---

Tiene asimismo licencia de los Señores del Consejo Real de Castilla, como consta de decreto de seis de Septiembre de 1688.

D.

DE  
\* \* \* \* \*  
DE

D. IOANNES DE GOYENECHÉ

LECTORI S.

**R**EVERENDISSIMVS PATER  
Thyrſus Gonçalez, Publicus  
& iam emeritus apud Salman-  
ticenſes Sacræ Theologiæ Pro-  
feſſor, Verbiſque Dei egregius per Vniuer-  
ſam Hiſpaniam diſſeminator, in Urbem ad  
Generalia Societatis Ieſu Comitia cum iu-  
re ſuffragij iter adornans, Matritum venit:  
vbi mihi, pro ſua, qua pollet, humanitate,  
benigniſſimè compellato eam ſpartam cõ-  
miſit, vt bina ſua Opuscula prælo cum fa-  
cultate Superiorum id temporis ſuorum  
apparata, typis evulgari procurarem: quo-  
rum alterum fuit *Manuductio ad Conuer-  
ſionem Mahumetanorum* duobus tomis cõ-  
prehenſa annoque ſuperiore mea opera  
impreſſa; alterum eſt *Tractatus hic Theo-*

¶

lo-

*logicus de Certitudine Mysteriorum Conceptionis*, qui nunc in lucem emittitur. Nimirum laboris atque pietatis studiosissimus, nunquam sibi otiosi permillum; semper, quâ scriptis luculentibus, quâ concionibus, aliisque pijs operibus insudandum, autumabat. In quâ omnia ita simul incumberebat, ut, cum scriberet, totus doctrinæ instillandæ; cum concionaretur, totus animarum salutis deditus esse videretur. Quippe nunquam scribebat, nisi piensissimus; nunquam concionabatur, nisi litteratissimus; unde effectum est, ut & discipulos optime memoratos reddiderit, & proximorum animos salubriter erudierit: sibi que id à virtutibus ac litteris nomen peperit, quod Generalia illa Societatis Iesu Comitia demerata, in Supremam Sanctissimæ atque doctissimæ Familiæ Caput R. P. Thyrsus magno animorum consensu delegerunt. Plura dicerem, in ipsiusque laudes promeritis calamus excurreret, nisi & aliqua in præloquio *Manuductionis* delibassem; & singulari eius modellia negotium faceflere:

vererer. Hoc vnum prætereundum silen-  
tio non cenſeo : Cùm Sapientiſſimus hic  
Doct̃or pro litterario anni 1684. curriculo  
Selectas neſcio quas de *Fide* Diſputationes  
prælegere Auditoribus Academicis deſti-  
naſſet animo , ac de *Conceptionis B. Virg.*  
materia pertractanda ne cogitaſſet qui-  
dem: ecce tibi de repente illum vehemen-  
ter inclinatum, vt illius ſtudio ſe dederet,  
cui ſumma cum diligentia aliquot menſes  
impendit, atque hunc Tractatum Theo-  
logicum obruſſo auro defecatiorem depu-  
ravit , quem typis commiſſum publicæ  
ſervitutum vtilitati, nec iniuria, exiſtima-  
vit. In quo breviffimè pariter & clariffi-  
mè ea rationum, testimoniõrumque pon-  
dera producit, quæ, vt (ſine temporis diſ-  
pendio) viri Doct̃i de *Certitudine Myſterij*  
*Conceptionis B. Virg.* æquum iudicium fer-  
re valeant , ſufficere abundè videantur.  
Illi de proxima definibilitate explicite tra-  
ctare animus erat, idque interim commen-  
tabatur, cùm Romam accitus, & in Genera-  
lem Societatis Antiftitem evectus, coactus

est scriptiois filum abrumpere. Elaboratis, Lector, fruere; quibus neque dilucidius, neque brevius, neque limatius, neque solidius aliquid, hac super re, fortasse legeris, ac pro tanti Doctoris, tantique Præsulis diuturna ac sospite vita, Deum apprecare. Vale.

SAN;

Œ. mi D. N. D. ALEXANDRI DIVINA  
Providentia Papæ VII.

Innovatio Constitutionum, & Decretorum  
in favorem sententiæ afferentis, animam  
Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, &  
in corpus infusione à peccato originali  
præservatam fuisse, editorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.



OLLICITVDO omnium Ecclesiarum,  
quam, licet meritis & viribus longè  
impares, Dei Optimi Maximi volun-  
tate, & providentia gerimus, in id Nos  
anxiè tenet intentos & vigilantes, vt  
scandala, quæ inter fideles, pro huma-  
næ naturæ corruptione & fragilitate, necesse est vt ve-  
niant, quantum fieri potest paucissima exoriantur, vt-  
que exorta quàm celerrimè, & quàm diligentissimè  
amoveantur: nam ijs per quos veniunt certam peccati  
perniciem, quibus verò præbentur præsens afferunt la-  
bendi periculum; quorum Nos pro nostro pastoralis  
officij debito, & damnum summopere dolemus, & dis-  
crimine assiduè vrimur. Sanè, VETVS EST, Christi  
fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Ma-  
riam pietas, sentientium, eius animam IN PRIMO  
INSTANTI CREATIONIS, ATQVE INFUSIO-  
NIS IN CORPVS fuisse speciali Dei gratia & pri-  
vilegio, intuitu meritorum Jesu Christi eius filij, huma-  
ni

ni generis Redemptoris, à macula peccati originalis  
PRÆSERVATAM IMMVNEM, atque IN HOC  
SENSV eius Conceptionis festiuitatem solemnè ritu  
colentium, & celebrantium; crevitque horum nume-  
rus, atque huiusmodi cultus post editas à foel. record.  
Sixto PP. IV. prædecessore nostro in eius commenda-  
tionem Apostolicas Constitutiones, quas sacrum Con-  
cilium Tridentinum innovavit, atque observari man-  
davit. Aucta rursus, & propagata fuit pietas hæc, &  
cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, appro-  
bantibus Romanis Pontificibus, religiosum Ordinem,  
& Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgen-  
tias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebriori-  
bus Academijs ad hanc sententiam, iam ferè omnes  
Catholici eam complectantur. Et quia ex occasione  
contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, con-  
clusionibus, & actibus publicis, quòd nempè eadem  
Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato  
originali, oriebantur in populo Christiano cum magna  
Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones, rec. mem.  
Paulus PP. V. etiam prædecessor noster vetuit horum  
opinionem præfatæ sententiæ contrariam publicè do-  
ceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ memor.  
Gregorius PP. XV. similiter prædecessor noster ad pri-  
vata etiam colloquia extendit; mandan. super in fa-  
vorem eiusdem sententiæ, vt in sacrosancto Missæ sa-  
crificio, ac divino Officio celebrandis tam publicè,  
quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine  
vti quicumque debeant. Nihilominus, prout venera-  
biles fratres Episcopi ferè omnes Hispaniarum cum  
Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad Nos litteris ex-  
posuerunt, accedente etiam insinuatione CHARISSI-  
MI IN CHRISTO FILIJ NOSTRI PHILIPPI EA-  
RVNDEM HISPANIARVM REGIS Catholici, qui  
spe-

specialem super hoc misit ad Nos Oratorem VENERABILEM FRATREM LVDOVICVM EPISCO-  
PVM PLACENTINVM, per quem etiam delatae  
fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earundem  
Hispaniarum, pergunt aliqui contrariae illius opinio-  
nis assertores contra praefatas prohibitiones tum pri-  
vatim, tum publicè praefatam sententiam, aut impug-  
nare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus  
cultui, & festo secundum illam praestitum ita interpre-  
tari, ut frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic  
sententiae, & cultui iuxta illam Beatae Virgini exhibito  
favere negant, pios Christi fideles è sua pacifica quasi-  
possessione deturbare conando; unde offensiones, scan-  
dala, & iurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. &  
Gregorius XV. nostri praedecessores perdurant adhuc,  
& ex occasione eorundem adversantium maiora his  
incommoda in posterum prudenter, & meritò timen-  
tur. Quapropter super his tam praefati Episcopi cum  
Ecclesiarum suarum Capitulis, quam memoratus Phi-  
lippus Rex, eiusque Regna, Nobis pro opportuno re-  
medio instanter supplicari fecerunt. Nos consideran-  
tes quòd Sancta Romana Ecclesia de intemeratae, sem-  
perque Virginis Mariae Conceptione festum solemniter  
celebrat, & speciale, ac proprium super hoc offi-  
cium olim ordinavit, iuxta piam, deuotam, & laudabi-  
lem institutionem, quae à Sixto IV. praedecessore no-  
stro tunc emanavit; votentesque laudabili huic pieta-  
ti, ET DEVOTIONI, ET FESTO, AC CULTVI  
SECUNDVM ILLAM EXHIBITO in Ecclesia Ro-  
mana post ipsius cultus institutionem NVNQVAM  
IMMVTATO, Romanorum Pontificum praedecesso-  
rum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pieta-  
tem, & deuotionem hanc colendi, & celebrandi Bea-  
tissimam Virginem, PRÆVENIENTE SCILICET  
SPI.

SPIRITVS SANCTI GRATIA , A PECCATO ORIGINALI PRÆSERVATAM , cupientesque in Christi grege vnitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & iurgijs, amotisque scandalis, conseruare: ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, eiusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem sententiæ asserentis, animam Beatæ Mariæ Virginis IN SVI CREATIONE ET IN CORPVS INFVSIONE SPIRITVS SANCTI GRATIA DONATAM, ET A PECCATO ORIGINALI PRÆSERVATAM FVISSE, necnon & in fauorem festi, & cultus Conceptionis eiusdem Virginis Deiparæ SECVNDVM PIAM ISTAM SENTENTIAM, VT PRÆFERTVR, exhibiti, innovamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, vt fauorem per illas DICTAE SENTENTIAE, ET FESTO, SEV CVLTVI SECVNDVM ILLAM EXHIBITO frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquomodo directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam definibilitatis eius examinandæ, sive sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce, loqui, contionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea asserendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus

Sixt.

Sixt. IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & per presentes subijcimus, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva, in quibuscumque electionibus, eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis poenas ipso facto incurrere absque alia declaratione; à quibus poenis non nisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super ijs dispensari possint: necnon eosdem alijs poenis nostro, & eorundem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subiacere volumus, prout subijcimus per presentes, innovantes Pauli V. & Gregorij XV. superius memoratas Constitutiones, sive Decreta. AC LIBROS in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, vt supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda prohibemus, sub poenis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus in hærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis

damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subiecit  
Sixtus IV. alijque prædecesores nostri Romani Pon-  
tifices, gravioribus alijs pœnis subijcimus, quas in con-  
trafacientes huic nostræ Constitutioni superius infli-  
ximus. Volentes quòd contra huius nostræ Constitutio-  
nis transgressores, etiam regulares cuiusvis Ordinis, &  
Instituti, ETIAM Societatis Iesu, & quomodolibet  
exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & sæcu-  
lares personas cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut  
dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, vt præ-  
fertur, tam Episcopi, & Prælati superiores, alijque lo-  
corum Ordinarij, quàm hæreticæ pravitate ubique lo-  
corum deputati Inquisitores procedant, & inquirent,  
atque in eos strictè animadvertant: Nos enim ijs, &  
eorum cuilibet contra eosdem transgressores proce-  
dendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi  
liberam facultatem, & auctoritatem ijsdem auctorida-  
te, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, vt præ-  
fertur, procedere, inquirere, & punire districtè præci-  
pimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutioni-  
bus, & ordinationibus, ac quibusvis indultis, & litteris  
Apostolicis quibusvis personis quantumcumque qua-  
lificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Pa-  
triarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia  
dignitate, & honore constitutis, etiam quòd contra eos  
procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari ne-  
queat, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, &  
eorum singulis, etiam si pro sufficienti illorum deroga-  
tione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, spe-  
cifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum,  
non autem per generales, etiam id importantes, clau-  
sulas, mentio habenda, aut alia exquisita forma obser-  
vanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad ver-  
bum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expres-  
sis,

sis, & infertis habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam congruentius pervenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda, præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinarijs, ac eorum Vicarijs, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & alijs singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus huiusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diocesis, vel districtus prædicatoribus, & alijs, quibus expedire iudicaverint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquomodo ignorantiam de præmissis possit prætereundere, aut se contra præmissa valeat excusare. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quòd præsentis litteræ per aliquos ex nostris Curforibus in Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Chancellerie Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ de Vrbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio & publicatio ita omnes & singulos, ad quos spectet, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quòd illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ forent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die viij. Decembris M. DC. LXI. Pontificatus nostri anno septimo.

S. Vgolinus.

Anno

Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, in  
dictione 13. die verò 11. mensis Decembris, Pontifica-  
tûs Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri  
Divinâ Providentiâ Papæ Septimi, anno septimo, su-  
prascriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in Basili-  
carum S. Io. Lateranensis, & Principis Apostolorum de  
Urbe, ac Chancellariæ Apostolicæ valuis, & in acie  
Campi Floræ, vt moris est, per me Andræam Castruc-  
cium prælibati Sanctiss. D. N. PP. Curs.

Pro D. Mag. Curs. Petrus Paulus Desiderius Curs.

---

ROMÆ, Ex Typographia Rev. Cameræ  
Apostolicæ. M. DC. LXI.

DIS-

2. V. gelius.

Anno



## DISPUTATIO

## PRÆAMBULA.

## AN ROMANVS PONTIFEX

*errare possit in Sanctorum Canonizatione,*

*& Beatificatione?*

## SECT. PRIMA.

*Preambula quaedam ad disputationem.*

**I** Remittendum est primo, quid sit Canonizatio? Hæc (inquit Bellarminus lib. 1. de Beatitud. Sanctor. cap. 7.) nihil aliud est quam publicum testimonium de vera sanctitate, & gloria aliquius hominis iam defuncti, & simul iudicium, ac sententia, qua decernuntur illi honores, qui debentur his, qui cum Christo foeliciter regnant. Quare, qui canonizantur, scribuntur in Cathalogo Sanctorum, id est, statuitur, & iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti.

**2** Differunt autem Canonizatio, & Beatificatio, quod illa est per modum definitionis, & vltimæ sententiæ late de sanctitate, & gloriâ canonizati toti Ecclesiæ propositi: Beatificatio autem est indulgentia, seu concessio

*Quid sit Canonizatio,*

*In quo differat à Beatificatione,*

A

sio

fio Pontificis facta alicui Provincia, vel Religioni, vt pos-  
 fit a liquis defunctus Beatus appellari, eique cultus aliquis  
 exliberi, vt constat ex Bulla Beatificationis Sancti Fran-  
 cisci de Borgia, in qua Urbanus VIII. inquit: Aposto-  
 lica autoritate tenore præsentium perpetuò concedi-  
 mus, & indulgemus, vt Dei servus Franciscus de Bor-  
 gia Beatus nuncupari, deque eo ab omnibus Societa-  
 tis Jesu Sacerdotibus, necnon inditionibus familiæ  
 illorum de Borgia ab omnibus Sacerdotibus Kalendis  
 Octobris, ipso nempe die sui obitus, Missa celebrari, ac  
 Officium de communi Confessoris non Pontificis libe-  
 re, ac licite valeat.

3 Quod Canonizatio sit definitio Pontificis de glo-  
 rificatione defuncti, constat primò ex verbis, quibus Ro-  
 manus Pontifex utitur. in Canonizatione. Sanctorum,  
 quæ ex libro Sacrarum Ecclesiæ ceremoniarum trans-  
 cribit Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione, cap.  
 6. Ad honorem Sanctæ, & individuae Trinitatis, &  
 exaltationem Fidei Catholicæ, ac Christianæ Religio-  
 nis augmentum, autoritate, eiusdem Dei Omnipoten-  
 tis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apo-  
 stolorum Petri, & Pauli, &c. Decernimus, & definimus:  
 bonæ memoriæ N. Sanctum esse, & Sanctorum Ca-  
 thalogo adscribendum, ipsumque Cathalogo huiusmo-  
 di adscribimus.

4 Constat secundo ex Bullis Pontificum in Cano-  
 nizatione Sanctorum, quas refert Diana tract. 2. de in-  
 fallibilitate decretorum Romani Pontificis: nam Pius II.  
 in Bulla Canonizationis Sanctæ Catharinæ Senensis, in-  
 quit: *Autoritate, &c. Catharinam Senensem in Cælestem  
 Hierusalem fuisse receptam, & aeternæ gloriæ corona dona-  
 tam declaramus, eamque tanquam sanctam, publicè, privatè  
 que colendam decernimus, & definimus.* Leo X. in Bulla 38.  
*Decernimus, & definimus. bonæ memoriæ Franciscum de Pau-*

De certitudine mysterij Concept. 3

*Ita in cœlesti Hierusalem inter beatorum choros receptum, æternæque gloriæ condonatum fuisse. Et Urbanus VIII. de Sancto Ignatio Parente nostro, quem eius prædecessor vna cum alijs quatuor canonizaverat, inquit: Decrevit, & definiuit, dictum Ignatium de Loyola Sanctum, & Sanctorum Cathalogo adscribendum, & aggregandum esse, prout adscripsit, & aggregavit.*

5 Secundò præmittendum est, ad solum Romanum Pontificem attinere Sanctos Beatificare, & Canonizare, vt probant Castro, & Bellarminus locis supra citatis: etsi enim olim Episcopi soliti fuerint in suis Diocœsibus, & Provincijs Sanctos Canonizare, vt constat ex Cypriano lib. 3. epist. 6. monente, scribi, & annotari eos, qui pro defensione Fidei moriebantur, vt ita posset eorum memoria singulis annis celebrari; nullus tamen Episcopus vnquam vllum Sanctum pro tota Ecclesia canonizavit: cum enim solum iurisdictionem haberent in sibi subditos, eos duntaxat obligare poterant ad deferendum honorem Sanctis à se canonizatis; ab vno tamen Episcopatu, & Provincia extendebatur cultus, & veneratio ad alias, & sic canonizatio fiebat vniversalis ex consensu Episcoporum, & populorum. Nunc autem nec pro sua duntaxat Diocœsi potest Episcopus vllus particularis Sanctum canonizare: quia ob multos abusus accidere solitos in his canonizationibus, Alexander III. in cap. *Audivimus*, & Innocentius III. cum Concilio Generali citato in cap. *Cum ex ea*. de reliquijs, & veneratione Sanctorum severè prohibuerunt, ne vllus in posterum absque Romani Pontificis autoritate, & consensu audeat aliquem pro Sancto & declarare, & venerari. Idque iure meritò decretum est: nam ad eum solum spectat toti Ecclesiæ proponere, quid sit credendum, & quid agendum in his, quæ sunt Religionis, qui toti Ecclesiæ præest; is autem est solus Romanus Pontifex, cti Christus in Petro

*Ad solum  
Rom. Pontif.  
attinet  
Sanct. cano-  
nizare.*

totum suum commisit ovile per illa verba: *Pasce oves meas*: ergo ad solum Romanum Pontificem spectat definire, & declarare, quis sit verè Sanctus, illumque omnibus colendum proponere: sicut ad ipsum solum pertinet declarare, quænam sit verè Divina Scriptura, seu quinam sint verè libri Canonici, & verum Scripturæ sensum fidelibus proponere. Nec ad Canonizationem Sanctorum expectandum est Concilium Generale: tum quia illa frequens est; Conciliorum autem generalium convocatio frequens esse non potest: tum quia vt ritè inquiratur in vitam, & miracula Sanctorum, & Summus Pontifex rectum indicium de ipsorum sanctitate formet, omninò de materiali se habet congregatio Episcoporum ex omnibus Orbis Christiani partibus, quæ tamen ad damnandas hæreses de novo insurgentes, & comperiendas traditiones Apostolicas, atque Ecclesiam reformandam utilissima est.

6 Si autem quæras, quisnam fuerit Romanus Pontifex, qui primus solemniter Sanctum aliquem canonizavit? Respondeo ex Bellarmino lib. i. de Sanctorum Beatitudine cap. 8. fuisse Leonem III. qui iuxta Baronium ann. Christi 804. Caroli Magni Imperatoris precibus solemniter pompa, rituque post examinatam vitam, & miracula Beati Suiberti, & post actas preces, & ieiunia indicta, & habita, de consensu Cardinalium inter sacra Missæ solemnia in Sanctorum Confessorum numerum illum retulit Nonis Septembris. Hoc ritu postea Innocentius II. canonizavit S. Hugonem Episcopum Gratianopolitanum, vt patet ex Epistola eiusdem Pontificis ad Priorem Carthusiæ adductam à Surio tom. 2. Deinde hoc solemniter ritu Alexander III. canonizavit Sanctum Bernardum, & Pontifices posteriores alios Sanctos; reliqui autem qui Leonem III. præcesserunt censentur tacito Ecclesiæ consensu canonizati, hoc ipso quod tota Eccle-

*Quis fuerit  
I. R. Pont.  
qui solemniter  
ritu canonizavit.*

clesia. illos vt Sanctos venerata est.

SECT. II.

Doctorum sententia.

7 **H**IS suppositis, hæretici affirmant Romanum Pontificem non solum posse, sed frequenter errare in Sanctorum Canonizatione; imò Joannes Vvileph aiebat nimis præsumptuosum esse, quòd Papa, vel Ecclesia absque speciali revelatione aliquem Sanctum esse, atque Beatum iudicaret, etiam si facta miracula comprobarentur: quia illa non sunt certa indicia sanctitatis, cum possint esse præstigia dæmonum. Contra hunc errorem scribit eleganter Vvaldensis in tom. 2. de Sacramentalibus à cap. 122. Lutherus etiam, vt refert Cocleus ann. 1524. furijs inuectus contra Adrianum VI. quòd in Sanctorum Cathalogum retulisset Benonem Mimensem Episcopum, libellum edidit lingua vulgari Teutonica sub hoc titulo: *Adversus novum idolum & antiquum Diabolum*, in quo impudenter ait officium Papæ non esse aliud quàm veros sanctos interficere, & falsos exaltare. Hic est hæreticorum spiritus: quia totus eorum conatus tendit ad labefactandam Romanæ Sedis authoritatem, à qua eorum errores damnantur:

*Hæreticorum sententia.*

8 Cardinalis Bellarminus vbi suprà cap. 9. ponit tanquam sententiam omnium Catholicorum, *Certum esse Ecclesiam non errare in Sanctorum Canonizatione, ita vt sine ulla dubitatione Sancti ab Ecclesia canonizati venerandi sint.* Verùm licèt omnes Catholici affirmant Ecclesiam non errare, exhibendo cultum Sanctis canonizatis à Romano Pontifice; non tamen omnes affirmant, certum esse, illum nunquam errare in Sanctorum Canonizatione: nam aliqui clarè docent, absolutè posse Papam errare in

*Sententia Catholicorum.*

San-

*Caietanus & Canus affirmant posse Papa errare in Canonizatione SS.*

Sanctis canonizandis, videlicet Caietanus, & Canus, quamvis neuter eorum ausus sit affirmare, aliquando Pontificem aliquem in hoc errasse. Ne autem videamur tantis Doctoribus imponere, operæ pretium erit eorum mentem exponere. Cardinalis ergo Caietanus id non obscurè docet tom. 1. opusculor. tract. 15. qui est de Indulgentijs, cap. 8. nam ad vltimum, reddens rationem, cur Ecclesia non erret in prædicandis Indulgentijs, inquit: *Præsumitur enim de iure pro Iudice semper, nisi manifestè appareat error, & supponens ex causa legitima datam tantam indulgentiam veritatem prædicat, sicut absque falsitate prædicat talem Sanctum, supponens illum ritè canonizatum. Ita quòd dato quòd iste canonizatus non esset Sanctus, sed damnatus, Ecclesie doctrina, aut prædicatio non esset mendax, aut falsa: quia hic non pertinentia ad finem (ad fidem forsan debebat dicere) non intelliguntur affirmari, & prædicari, nisi cum grano salis, hoc est, stantibus communiter præsumptis: præsumit enim Ecclesia canonizationem ritè factam, & similiter indulgentiam ritè datam, & sic prædicat Indulgentias valère quantum sonant: sed sicut potest intervenire error humanus in canonizatione alicuius Sancti (ut Sanctus Thomas dicit) ita potest intervenire error humanus in collatione indulgentie: Si quis autem putet Romanum Pontificem non posse errare in istis particularibus actionibus, putet quoque ipsum non esse hominem. Hæc ille, cuius mens plana est, non errare Ecclesiam in colendo tanquam Sanctum illum, quem Romanus Pontifex canonizavit: quia præsumere debet ritè canonizasse. Cæterum absolutè pronuntiat, Papam in canonizando posse errare.*

*Falsò hanc sententiam tribuit S. Thom. Caiet.*

9. Falsò tamen Caietanus asseruit D. Thomam dicere, posse intervenire errorem humanum in canonizatione alicuius Sancti: constat enim manifestè, Sanctum Doctorem oppositum docuisse quodlibet. 9. art. 16. vbi inquit: *Utrum omnes Sancti qui sunt per Ecclesiam cano-*

nizari, sint in gloria, vel aliquis eorum in inferno? Concludit enim corpus articuli his verbis: Quia honor, quem Sanctis exhibemus, quadam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesie errare possit. Et ideo reliqui Thomistæ merito Sanctum Thomam citant pro sententia communi asserente, Papam non posse errare in canonizatione Sanctorum.

— 10 — Sententiam tamen Caietani sectatus est Magister Canus lib. 5. de locis cap. 5. q. 5. ad finem capituli, ubi hæc habet: *Certa, & firma Ecclesie decreta esse non possunt, quæ non certis, ac firmis principijs, & fundamentis innitantur. Quo circa, si vel vnum ex his à quibus Ecclesie iudicium pendet, incertum est, certum Ecclesie decretum esse non potest, siue quæstio speculativa sit, siue practica: conclusio quippè, vt in Dialecticorum proverbio est, debiliorem partem sequitur; & si vnum quodlibet principiorum claudicat, eam quoque ex illa parte debilitari necesse est. Qua ex re. facillè intelligitur, Ecclesie iudicia, quæ ab incertis hominum testimonijs proficiscuntur, infirma esse ad certam, & exploratam faciendam fidem. Quale illud est, quo Sanctum aliquem Divorum Cathologo adscribendum censet. Nec tamen impunè licet huiusmodi decreta in dubium revocare; quin temerarium, & irreligiosum est in Divis consecrandis Ecclesie abrogare fidem. Quod postquam latè probavit, concludit, Eos, qui negarent sanctum canonizatum esse in gloria, non hereticos quidem; sed temerarios, impudentes, & irreligiosos esse credendum. Vndè patet Canum idem sentire quod Caietanus.*

*M. Canus  
sententia.*

— 11 — Secunda sententia asserit, Pontificem Romanum errare non posse in Canonizatione Sanctorum, idque esse omninò certum; non tamen de fide. Ita Magister Banez. 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 7. in secunda conclusione di-

*Sententia  
affirmans,  
esse omninò  
certum, non  
tamen de fi-  
de, quod Pa-  
pa non pos-  
sit errare in  
Canoniz.*

dicens: *Temerarium esse valde, & scandalosum, & heresim sapere dicere, quòd Papa, aut Concilium possit errare in Canonizatione Sanctorum.* Additque se in hac censura sequi communem Theologorum sententiam, præsertim D. Thomæ quòdlibet. 9. art. vlt. asserentis, Canonizationem Sanctorum medium esse inter duo, scilicet inter iudicium infallibile Papæ de rebus fidei, & iudicium fallibile eiusdem in causis civilibus, & criminalibus. Ex quo sequitur ex mente D. Thomæ, iudicium Pontificis in Canonizatione Sanctorum esse quidem infallibile; cæterum infallibilitate inferiori ad infallibilitatem fidei.

12 Hanc sententiam sequitur Doctor Eximius disp. 5. de Fide sect. 8. num. 8. vbi hæc habet. *Quamvis hæc illatio non sit de Fide (scilicet non posse Pontificem errare in Canonizatione Sanctorum) sentio esse satis certam, & contrariam esse impiam, & temerariam.* Et hic videtur esse sensus Cardinalis Bellarmini, qui cap. 9. libri primi de Sanctorum beatitudine hunc titulum præfigit: *Credendum esse Pontificem non errare in Sanctorum Canonizatione.*

*Sententia affirmans, id esse de Fide.*

13 Tertia sententia docet, esse de fide, quòd non possit Papa errare in Sanctorum Canonizatione. Ita P. Amicus disp. 7. de Fide num. 93. pro hac sententia citans Patrem Luiseum Turrianum, qui 2. 2. disp. 17. dub. 6. eam vt probabilem defendit, & P. Valentiam, qui firmiter illam tuctur q. 1. de Fide punct. 7. §. 41. Eandem sententiam defendunt P. Arriaga disp. 9. de Fide num. 28. & P. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 4. num. 2. Item ex alienis Verricelli in quæstionibus moralibus tract. 8. q. 24. num. 2. Diana tom. 11. tract. 2. resol. 18. Leander à Sacramento tom. 6. tract. 7. q. 27.

14 Quibus addendi sunt è sacra Prædicatorum familia Illustrissimus Araujo in Decisionibus moralibus tract. 3. q. 23. num. 2. vbi inquit. *In Canonizatione Sanctorum Papam errare non posse est certum de Fide, quia procedit*

De certitudine mysterij Concept. 9

ut caput totius Ecclesie. Item M. Dominicus Baltanàs in Margarita Confessorum fol. 184. vbi ita scribit. Ioannes de Neapoli quodlibet. 11. & plures alij tenent simpliciter, quòd asserere Papam posse errare in Canonizatione Sanctorum, est hereticum, & hec est mens Diui Thomæ 2. 2. quia in spectantibus ad fidem, & bonos mores asserere posse Papam errare, est hereticum; sed Canonizatio Sanctorum est huiusmodi: quia per eam ponuntur, ut exemplar fidei, & sancte vitæ, ut invocandi ab omnibus, &c. Ergo Papa in hoc non potest errare, & oppositum simpliciter est hereticum, cum sit directè contra articulum fidei, scilicèt: Credo Sanctam Ecclesiam, &c. Item Magister Joannes Casalas in candore lilij, s. 40. fol. 175. vbi ait hereticum se probare, qui negat D. Thomæ sanctitatem, quem Apostolica sedes toti Ecclesie Sanctum, & venerandum proponit. Denique M. Zanardus p. 2. verbo heresis, vbi ait, hanc esse contra hereticos Catholicorum sententiam habentem certitudinem infallibilis veritatis.

S E C T. III.

*Primum caput probandi non posse Papam errare in Canonizatione Sanctorum, ex eo quòd tota Ecclesia teneretur errare, & ex multiplici instantià ad hominem contra*

*Magistrum Cano.*

15 **A**SSERO primò, non solum esse moraliter certum, sed omninò infallibile, saltem certitudine Theologica, Papam non posse errare in Canonizatione Sanctorum, & omnes canonizatos esse in cælo. Probatur primò assertio: quia dum Pontifex solemnè ritu aliquem Sanctum canonizat, obligat fideles omnes ad sentiendum hominem illum frui cœlesti Beatitudine:

*x. nostra  
conc. saltem  
est Theolo-  
gicè certum,  
Papam non  
posse errare  
in Sanct. Ca-  
noniz.*

B

nam,

nam, vt inquit P. Suarez disp. 5. sect. 8. num. 8. *Non licet fidelibus dubitare de gloria Sancti canonizati, id enim sub precisa obligatione precipiunt Pontifices in Sanctorum Canonizatione.* Idque probat Bellarminus lib. 1. de Sanctorum Beatitudine cap. 9. quia si liceret dubitare, an Sanctus canonizatus sit Sanctus, liceret etiam dubitare, an sit colendus; at hoc est falsum: siquidem Divus Augustinus epist. 118. dicit, *insolentissime insanie esse disputare, an sit faciendum, quod tota Ecclesia facit.* Item Bernardus epist. 174. loquens de colendis festis in honorem Sanctorum, inquit: *Ego que accepi ab Ecclesia securus teneo, & trado.* Secundò: quia omnes veteres, Sanctos colendos esse asseruerunt. Denique quia tenemur obedire Pontifici indidenti diem festum alicuius Sancti, nec tamen possumus contra conscientiam aliquid agere: ergo non possumus dubitare, an sit colendus ille, qui ab Ecclesia est canonizatus: ergo nec possumus dubitare an sit in cœlo, ac proinde tenemur firmiter iudicare, illum cœlesti gloria donatum fuisse. Tum sic: ergo tota Ecclesia tenetur iudicare Sanctum canonizatum esse in cœlo. At impossibile est, vt tota Ecclesia teneatur pro vero accipere aliquid re ipsa falsum: ergo impossibile est, quod Sanctus canonizatus non sit in cœlo, ac proinde certum omninò est, non posse Pontificem errare in Sanctorum Canonizatione.

16 Cætera constant; probatur minor subsumpta: *Impossibile est, quod tota Ecclesia erret in cultu alicuius Sancti.* nam, cum iuxta Apostolum 1. ad Thimotheum 2. Ecclesia sit *Columna, & firmamentum veritatis*, impossibile est quod tota erret, & quod peius est, quod tota teneatur ex gravi obligatione errare: dicitur enim columna veritatis, quia errorem, aut falsitatem sustentare non potest; sed firmitate, ac stabilitate suâ sinceram, ac puram veritatem conservare, & vt inquit Bellarminus lib. 3. de Ecclesia Militante cap. 14. dum Apostolus vocat Ecclesiam *Columnam veritatis*, vult significare, veritatem fidei quoad

De certitudine mysterij Concept. 11

nos niti Ecclesiae auctoritate, & verum esse quidquid Ec-  
clesia probat, & falsum quidquid illa improbat.

17 Dices, non posse quidem totam Ecclesiam errare in aliquo articulo ad salutem necessario: quia de his non potest habere ignorantiam invincibilem, ac proinde inculpabilem, nec etiam posse errare in his rebus, quas Romanus Pontifex, vel Concilium Generale proponit, ut certas ex fide, declarando oppositum esse haereticum; nihil tamen esse incommodi, quod possit errare inculpabiliter per ignorantiam invincibilem in alijs rebus, quae nec sunt articuli fidei ad salutem necessarij, nec à Pontifice proponuntur tanquam certae de fide. Sed contra primo: quia si semel Papa, vel Concilium Generale posset errare etiam per ignorantiam invincibilem, & ex illa obligare totam Ecclesiam ad accipiendum tanquam verum aliquid re ipsa falsum, nihil firmum haberemus in nostra fide, & possemus dubitare, an decepta fuerit Ecclesia, dum definivit, animas Sanctorum videre Deum ante diem iudicij; habitus supernaturales infundi in Baptismo; Patrem, & Filium producere Spiritum Sanctum per modum vnus principij; & similia. Quia isti non sunt articuli, quorum fides explicita sit necessaria ad salutem, nec Ecclesia definivit, quasi reflexè has res esse de fide; sed solum directè declaravit esse veras in seipsis.

*Ecclesia tanquam invincibiliter errare, accipiendo ut verum aliquid re ipsa falsum.*

§. I.

*Instantia ad hominem contra M. Cano.*

18 **A**D hominem arguo contra istum Authorem primò: nam ille, lib. 4. de locis, cap. 4. pag. 137. indè probat, non posse Ecclesiam dogma falsum credere: Quia, si dogma falsum (inquit) Ecclesia crederet, aut credendum proponeret, quàmlibet ex ignorantia id

*Prima instantia.*

faceret, quomodo columna, & firmamentum esset veritatis? Certè si veritas in Ecclesia humeris innixa est, deesse illi omnino non potest, nisi & Ecclesie sue Christus, & Christo ipsa veritas desit. Hæc autem ratio, vel nihil probat, vel pariter evincit: non fore Ecclesiam columnam veritatis, si posset canonizare hominem existentem in inferno.

Secunda:

19 Secundò: nam hic Author, lib. 5. de locis, quæst. 5. conclus. 3. §. Mox etiam, habet hæc. Turpiter errabit Ecclesia in doctrinâ morum, si legem ferat de colendo Divo, quem colere, si Divus non est, & cum ratione, & cum Evangelio pugnat. Tum sic: At impossibile est Ecclesiam turpiter errare in doctrinâ morum: ergo impossibile est, vt erret in Canonizatione Sanctorum. Probatur hæc consequentia: nam si tunc erraret, legem ferret de colendo Divo, quem colere, si Divus non est, & cum ratione, & cum Evangelio pugnat. Minor, subsumpta latè postea probanda, nunc suadet breviter: quia vt sapienter inquit M. Gravina in præscriptione de infallibilitate Romani Pontificis, quæst. 4. art. 1. fol. 290. Qui diceret, legem Ecclesiasticam repugnare Evangelio, vel lumini nature, vel traditionibus Apostolicis, meritò, vt hereticus habendus tanquàm cum Lutheranis, & Calvinistis conspirans. Quod antea docuerat Sylvester, verbo Fides, num. 2. his verbis: Ad fidem pertinet inhaerere determinationi Pontificis Summi in his, quæ sunt fidei, imò etiam in his, quæ spectant ad bonos mores, quia in eiusmodi Ecclesia etiam errare non potest, & consequenter, nec caput eius in quantum caput, seu in quantum Pontifex.

20 Confirmatur: nam vt ibidem subiungit Canus: Ne igitur canus error in Ecclesiâ sit. Deus peculiariter providere credendus est, ne Ecclesia, quàm libet hominum testimonia sequatur, in Sanctorum Canonizatione erret. Ergo fateri debet Cano Spiritum Sanctum assistere Pontifici, ne erret in Sanctorum Canonizatione, sicut ei assistit, ex-

sen-

sententiâ huius Doctoris cum communi Theologorum, ne erret in determinandis fidei, & morum controversijs.

21. Arguo tertio ad hominem : Nam, vt ait idem Author ibidem, conclusione 2. pag. 93. §. Deinlè, per illa Christi verba : *Quicumque dixerint vobis facite, & qui non audit me audit*, præcipimur Ecclesiæ legibus obtemperare, atque ita, si errat illa, Christus nobis erroris causa est, at impossibile est, vt Christus nobis erroris causa sit : ergo impossibile est, vt erret Ecclesia nobis præcipiens, vt aliquem pro Sancto habeamus, seu illum Sanctum esse iudicemus, & pro Sancto colamus ; at dum aliquem canonizat, hoc nobis præcipit : ergo impossibile est, vt Ecclesia erret in Sanctorum Canonizatione : ergo M. Cano cum Caietano docens, Papam hac in re errare posse, non solum contradicit Divo Thomæ, & alijs Sapientissimis Doctoribus suæ sacræ familiæ ; sed etiam sibi ipsi.

*Tertias instantias.*

22. Quartò : quia Cano, lib. 4. de locis, cap. 4. rectè ostendit eam esse vim Divinarum promissionum, vt nequeat Ecclesia tota persuadere sibi sententiam aliquam erroneam, etiam in materiâ, quæ non pertineat ad fidem : nam hoc quidem pati alienum esset ab eo spiritu veritatis, quo semper Ecclesia regitur : ergo sibi ipsi contradicit Magister Cano dum docet Pontificem absolute errare posse in Sanctorum Canonizatione : siquidem tunc tota Ecclesia sibi persuaderet, esse in cælo hominem existentem in inferno. Quòd autem id ibi ostendat Cano, constabit legenti ipsum, & id verbis à nobis positis, testatur P. Valentia, quæst. 1. de obiecto fidei punct. 7. §. 16. in septimâ proprietate Ecclesiæ.

*Quartas.*

*Nequit Ecclesia tota persuadere sibi aliquam sententiam erroneam, etiam extra materiam fidei.*

23. Arguo quintò ad hominem : quia Cano, lib. 12. cap. 7. in 8. præceptione, pag. 418. statuit : *Universos Scholæ Theologos in Theologia certis, constantibusque decretis præsignendis errare non posse, sicut ne in fide quidem.* Et

*Quintas. Neque. univesi Theologi in aliqua assertionone errare.*

Hinc certum est, Christi animam à primo instanti Deum vidisse.

reddit rationem, quòd eorum error, error esset Ecclesiæ, utpotè cum ad cernendum huius generis res non alios Ecclesiæ, quàm Theologorum oculos habet, qui si fallerentur totum Ecclesiæ corpus in suo facerent errore versari. Id quod etiam docent P. Valentia, vbi nuper, & §. 45. & 46. & Bellarminus de Ecclesiâ Militante, cap. 14. ad finem. Hinc quia Christi animam statim, ut est in corpore inclusa, Deum apertè vidisse Scholastici ad vnum omnes fidentissimè docent, ideò illam doctrinam certissimam esse deducit. At hæc ratio à fortiori evincit, non posse Romanum Pontificem errare in Sanctorum Canonizatione, sicut ne in fide quidem: quia eius error, error esset totius Ecclesiæ, utpotè quæ ipsi definiendi, & declaranti, aliquem esse Sanctum, & præcipienti, ut pro tali habeatur, atque colatur, obedire teneatur, ipsumque audire tanquam Supremum Pastorem, & Magistrum, ad quem spectat pascua salutaria à noxijs, & doctrinam sanam à falsâ discernere.

## S E C T. III.

*Secundum caput probandi eandem veritatem ad hominem contra Caietanum, & Cano, ex eo quod Romanus Pontifex, non possit errare in decretis fidei.*

24 **N**on posse Papam errare in determinandis fidei controversijs, tanquàm certum statuunt Cardinalis Caietanus in opusculo de authoritate Pontificis, & Concilij, cap. 9. præsertim, §. Ad rationem, vbi inquit, quòd non plus potest Papa, & Ecclesiæ, quàm Papa solus. Et 2.2. quæst. 1. art. 10. atque M. Canus, lib. 6. de

de locis, cap. 7. & 8. & lib. 5. cap. 5. vbi docet, eandem prorsus auctoritatem infallibilem ad definiendum esse illam, quæ Pontifici Summo, & quæ Ecclesiæ Catholicæ, & quæ Concilij tribuitur, vt cum ipso explicat P. Valentia, quæst. 1. de obiecto fidei, punct. 7. §. 45. Ecclesia enim habet supremam, & consequenter infallibilem auctoritatem ad decidendas fidei, & morum controversias, non quia illam habeat collectio omnium fidelium, vel collectio omnium Prælatorum; sed quia illam habet ipsius caput, nempè Romanus Pontifex: eius enim regimen neque est Democraticum, id est, populare, nec Aristocraticum, id est Optimatum; sed Monarchicum, id est, vnus vt ostendi anno præterito, disp. 2. sect. 2.

*Ideo Ecclesia habet infallibilem auctoritatem, quia eam habet eius visibile caput.*

25 Idque docent reliqui omnes Thomistæ cum D. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 10. vbi probat *explicationem, & editionem symboli fidei, id est, eorum, quæ à fidelibus credi debent, ad solum Romanum Pontificem pertinere: quia ad illum solum perinet finaliter determinare quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussè fide tenentur. Quæ veritas (inquit P. Valentia eo punct. 7. colum. 114.) vsque adeò continet summam, & caput totius Christianæ Religionis, vt nemo Catholicus esse possit, qui illam non amplectatur, nec vllus sit hereticus; qui illam non neget. Et M. Bañez 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 2. conclusione 4. ait, tanquam Apostolicam traditionem esse tenendam. Et quidem, vt talis haberetur (inquit) ab omnibus fidelibus, nisi à tempore Concilij Constantiensis in agro Domini inimicus homo, id est, diabolus Rizaniam superseminasset: etenim vsque ad illa tempora solè Greci errabant in hac parte: atque ita D. Thomas in opusculo contra errores Grecorum, hunc errorem tanquam singularem Grecorum narrat: & proculdubio, si quæst. hæc ad Concilium legitimum deferretur, non dubito quin prædicta conclusio desiniretur tanquam vera fides; & contraria anathematizaretur. Hæc Bañez.*

Imò

*Alphonsus à Castro, citari solitus pro sententia Gersonis manifeste docet, Papam extra Conciliū habere auctoritatē infallibilem ad designandum.*

26 Imò Alphonsus à Castro, qui citari solet pro sententiā Gersonis, & Almagni asserentium Papam definientem extra Concilium Generale posse errare, eo quod lib. 1. adversus hæreses, dixit cap. 2. *Papam solum absque Congregatione Concilij posse in his, quæ ad fidem spectant errare, multi non contemendæ auctoritatis Theologi asseruerunt; imò aliquos Pontifices in fide errasse competentum est; hic, inquam, gravis Author hoc dictum postea explicans manifestissimè docet oppositum: nam lib. 1. de iustâ hæreticorum punitione cap. 6. expressè asserit, Papam ut personam publicam, & quatenus, ut summus Pastor docet totam Ecclesiam cum intentione illam obligandi, non posse errare; licet possit errare, ut persona particularis, & ut Doctor privatus, sic enim ait: Hoc est Privilegium Sedi Apostolicæ propter universalem Ecclesiam, qua regendam suscepit, concessum, ut quando ipsam Ecclesiam docet fidem, errare non possit. Nolo quidem negare, Papam errare posse in fide, & posse esse hæreticum: nam de aliquibus fertur ipsos in fide errasse; hoc tamen contigit illis, quando loquebantur, aut scribebant, aut fortè docebant, ut singulares persone, & privata; si tamen loquerentur, aut docerent, aut scriberent tanquam persone publicæ, & officio prelationis fungentes, tunc credo, quod Deus illos errare non permetteret, ne Ecclesiam sponsam suam, quam sibi speciosam acquisivisset illi suo errore inficerent. Hæc ille: ex quibus evidenter constat inmeritò citari pro sententiā illâ, quam Bellarminus planè erroneam, & proximam hæresi appellat.*

*Ratio, quæ Caietanus probat, Papam in Decretis fidei errare non posse.*

27 Hoc supposito, videamus, quibus rationibus probent Caietanus, & Canus, non posse Papam errare in Decretis fidei, ut eisdem contra ipsos probemus non posse errare in Sanctorum Canonizatione. Igitur Caietanus 2. 2. quæst. 1. art. 10. §. Ad horum Papam in iudicando, & definiendo quid tenendum, sit de fide errare non posse: Ex eo, inquit, convincitur quod omnes fatemur, quod

tota Ecclesia errare non potest propter verbum Christi *Matthæi ultimo: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad con- summationem sæculi, & Papa definiente, & determinante iudicialiter, & definitivè aliquid esse hæreticum, & pro hæretico ab Ecclesia habendum, constat quod omnes tenerentur acceptare, & hæreticus censeretur quicumque de cætero teneret oppositum pertinaciter. Tota igitur Ecclesia posset errare, sequendo determinationem Papæ, si Papa in tali definitione posset errare: credendum est igitur quod promissionem Ecclesiæ factam à Christo, scilicet: Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem (Ioannis 14.) ipse, cui non est difficilius per vnum, quàm per multitudinem idimplere, per vnum caput totius Ecclesiæ adimpleat, vt lex Divinitatis servetur, quæ inferiora per media, & media per summa gubernat: & qua ratione dedit Ecclesiæ Principatum Monarchicum supra totius Ecclesiæ vires, eadem ratione Monarchiæ illi potestatem definiendi, quæ opportuna sunt, dedit absque defectu: Deum enim minus quàm naturam decet deficere in necessarijs. Hæc ille.*

28 Hæc ratio Caietani, quæ profectò solida, & elegans est, probat pariter, Papam errare non posse in Canonizatione Sanctorum; nam, vt constat ex dictis sect. 1. dum Papa Sanctum Canonizat, definit, & determinat iudicialiter, & definitivè Sanctum illum esse in gloriâ Cœlesti, & strictè præcipit, vt ab omnibus tanquam Sanctus colatur: ergo tenentur omnes acceptare hanc definitionem, & credere, sin minus vt articulum, & dogma fidei, saltem vt omninò verum, hominem illum Canonizatum Sanctum esse, & pro Sancto ipsum colere: tota igitur Ecclesia posset errare sequens determinationem Papæ, si ille in tali definitione posset errare. At impossibile est totam Ecclesiam errare: quia hoc opponitur illi Christi promissioni: *Ecce ego vobiscum sum, &c.* ergo

*Pariter  
evincit, non  
posse errare  
in canoniza-  
tione.*

impossibile est, Papam errare in Sanctorum Canonizatione; sed credendum est Deum, qui dedit illi Principatum Monarchicum suprâ totam Ecclesiam, dedisse eidem potestatem definiendi absque defectu, quæ opportuna sunt ad Ecclesiæ utilitatem, Canonizatio autem Sanctorum utilissima est Ecclesiæ: deservit enim ad confirmationem Christianæ Religionis, & fidelium exhortationem, dum illis Sanctorum exempla proponuntur, quorum animæ iam in gloriâ esse firmiter iudicantur.

*Ratiò Cani  
idem probat.*

29 Canus verò lib. 4. de locis cap. 4. pag. 135. probat non posse esse falsum, quod Ecclesia credit: quia Ecclesia est *Corpus Christi*, vt docet Apostolus ad Ephes. 5. *Asus ergo capite mouetur, & regitur: nullo itaque pacto errare in fide potest.* Hæc autem ratio probat, non posse totam Ecclesiam credere, seu sibi persuadere, aliquem hominem damnatum in Cœlo cum Christo regnare, & dignum esse, vt eius precibus se commendet Ecclesia: quomodo enim à Christo corpus hoc moueretur, & rege- retur, si Pontifici dedisset potestatem ad proponendum tanquam Sanctum aliquem hominem defunctum, quem ob famam sanctitatis, & alia indicia moraliter evidentia, iudicaret in gratiâ decessisse; & simul permetteret, vt omnia illa indicia sanctitatis reperirentur in homine ad infernum damnato? Secundò id probat: *Nam spiritus veritatis est huius corporis anima, vt enim inquit Apostolus ad Ephes. 4. Vnus spiritus, & vnam corpus. Quod si spiritus veritatis Ecclesia regitur, ad nullam errorem, ne in scientiis quidem, moveri poterit.* Quæ ratio, vel nihil persuadet, vel etiam probat non posse totam Ecclesiam per ignorantiam invincibilem moveri ad hunc enormissimum, & perniciosissimum errorem adorandi, vt Sanctum, hominem iniquum in inferno commorantem. Tertiò probat non posse esse falsum, quod Ecclesia credit ex promissionibus ipsi à Christo factis Ioannis 14. & 16. quibus communi-

muniter probatur, Ecclesiam ob assistentem sibi Spiritum Sanctum non posse totam errare, ut videre est apud P. Valentiam quaest. 1. punct. 7. §. 16. in septimâ Ecclesiae proprietate, praesertim ex illâ: *Cum autem venerit Paraclytus, docebit vos omnem veritatem*: nam, ut contra haereticos ibi demonstrat Canus, verba haec non sunt intelligenda de solis Apostolis; sed etiam ad posteros pertinent, ut autem ibidem subiungit: *Siquid falsum habere t Ecclesia tanquam fidei dogma; nec Spiritus Christi æternum cum fidelibus permaneret, nec eos omnem veritatem doceret.* Hæc autem ratio non minus probat, non posse Ecclesiam totam habere aliquid falsi pro verò indubitato, sicut pro verò indubitato habet omnem Sanctum Canonizatum in æternum beatum fore, quàm pro dogmate fidei: non minùs enim opponitur Spiritui veritatis, accipere pro verò aliquid re ipsâ falsum, quàm accipere pro dogmate Catholico aliquem errorem: nec illa Christi promissio limitari potest ad solas veritates, quarum fides explicita est ad salutem necessaria; alioqui posset errare Ecclesia in definiendis alijs veritatibus, quas non omnes tenentur explicitè credere, quales in Concilijs passim occurrunt, v.g. iustificationem fieri per formam inhærentem, & animas Sanctorum beatificari ante diem iudicij vniuersalis: ergo extenditur ad omnem veritatem vtilem Ecclesiae vniuersali, & quæ necessaria est ad excludendum errorem ipsi perniciosum, qualis foret error, quòd à totâ Ecclesiâ colatur, ut Sanctus homo nequam in inferno existens: tunc enim Ecclesia peteret sibi maledictionem pro benedictione, siquidem in orationibus Sanctorum postulat, ut sicut Deus illos glorificauit in cœlis, sic nobis etiam gratiam largiatur in terris.

30 Postrema ratio à Cano adducta est. Quia si Ecclesia potest in fidei questionibus errare, librum quoque, ut Divinum recipere posset, qui tamen à Deo non fuisset:

*Postrema ratio Cani probat Papam errare non posse in questionibus fidei.*

cum sit eadem ratio de vno libro ac de vno quolibet dogmate. Quare non valeret argumentum: Ecclesia habet Evangelium Matthæi pro Canonico: ergo canonicum est: quod quoniam impijssimè, & absurdissimè diceretur, illud nos dicamus potius, rectè fideles Ecclesiam Catholicam credere, non solum in eo sensu, vt Ecclesiæ Catholicæ fides deficiat nunquam, sed in eo etiam, vt nihil ipsa credere, aut docere possit, quod sit *ver.e fidei contrarium*. Hæc ille.

*Idem pro-  
bat de Cano-  
nizatione.*

31 Contra quem ad hominem sic vltimò argumen-  
tor: quia si Ecclesia posset in Sanctorum Canonizatio-  
ne falli, declarando, & definiendo Sanctum esse, qui San-  
ctus non est, sed potius in inferno torquetur; posset etiam  
falli in canonizandis libris, idest, in declarando talem,  
vel talem librum esse Canonicum, quia Ecclesiam hoc  
declarare est veluti librum illum canonizare, obligando  
omnes fideles, vt illum suscipiant tanquam à Deo dicta-  
tum: quàm enim securitatem possemus habere, quod  
Ecclesia non fallitur, dum declarat talem librum esse Ca-  
nonicum, si semel non haberemus omnimodam securita-  
tem, quod non fallitur, dum declarat talem hominem  
esse in gloriâ? Nec dixeris propterea, Ecclesiam non  
posse falli, dum declarat, aliquem librum esse Canonicum,  
quia id ipsi constat ex traditione Apostolicâ: Vnde nam  
enim nos certi esse possumus, hanc traditionem re ipsa ex-  
stitisse, nisi quia Ecclesiâ illam proponit, & definit? At pa-  
riter definit, & credendum proponit S. Ignatium de Lo-  
yola, v.g. esse in gloria: & sicut primum non declara-  
rauit, nisi ex impulsu, & assentiâ Spiritus Sancti, præ-  
cedentibus vrgentissimis fundamentis, ita nec definiuit,  
nec declaravit secundum, nisi ex impulsu Spiritus Sancti,  
nisi præcedentibus vrgentissimis fundamentis facientibus  
moralem certitudinem, à quibus non permetteret Deus,  
Pontificem moveri ad canonizandum Sanctum, si cum  
veritate coniuncta non forent. Nec

32 Nec hoc argumentum: *Ecclesia habet pro Canonico Evangelium Matthæi: Ergo Canonicum est maiorem vim videtur præ se ferre, quàm istud: Ecclesia habet pro Sancto Augustinum: ergo Sanctus est.* sicut enim à Deo accepit auctoritatem declarandi, quinam libri sint Canonici, seu Divini, ita & declarandi, quinam homines sint Sancti, & tanquam Sancti colendi: vt enim probabimus infra, de fide est Christum reliquisse in Ecclesiâ suâ auctoritatem canonizandi Sanctos. Certum ergo omninò est non posse Papam errare in Sanctorum Canonizatione: & hæc certitudo, vt inquit P. Valentia, quæst. 1. punct. 7. §. 41. *Eisdem promissionibus* nititur, ex quibus compertum habemus nunquam esse futurum, vt vniversa Ecclesia in rebus Religionis fallatur.

S E C T. V.

*Tertium caput probandi eandem veritatem:  
ex eo, quòd non possit Papa errare in præceptis morum, qua toti imponit  
Ecclesia.*

33 **N**ON posse Ecclesiam errare in decretis morum, vel declarando esse necessarium ad salutem, quod necessarium non est, aut è contra non esse necessarium, quod necessarium est, vel declarando esse licitum id quod est intrinsecè malum, aut è contra, esse malum, quod est licitum, vel præcipiendo vitia, & prohibendo virtutes, est assertio adedò communis, vt P. Amicus disp. 7. num. 56. dicat in ea omnes Catholicos convenire. Ita M. Cano lib. 5. cap. 5. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 5. Bañez 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 6. Valentia, quæst. 1. de obiecto fidei punct. 7. §. 39. Mo-

Molina de Iustitiâ, disp. 225. & Eximius Doctor disp. 5. de fide, sect. 8. apud quem S. Antoninus dicit *id esse de fide*, & Cano, *parùm distare*. Vndè ipse Soarius lib. 4. de immunitate Ecclesiæ cap. 30. dixit, Ecclesiâ non posse errare in præceptis morum, quæ vniuersali autoritate Pontificum, aut Conciliorum Generalium observari præcipiuntur: & hinc infert de fide esse privilegium immunitatis Clericorum esse iustum, & validum.

34 Hanc veritatem colligunt Doctores ex articulo, quo credimus, Ecclesiâ esse sanctam: nam, vt inquit Bellarminus, *sancta dicitur potissimum ob sanctam professionem, quia scilicet legem, & professionem sanctam profectur, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum*. Et ideò, vt inquit P. Suarez, approbare turpia pro honestis, & è contra damnare honesta tanquam turpia repugnat veritati, & sanctitati Ecclesiæ. Prætereà, vt ait Bellarminus, tunc necessariò etiam erraret Ecclesiâ circa fidem: nam fides Catholica docet omnem virtutem esse bonam; omne vitium esse malum; si autem Papa errare posset præcipiendo vitia, & prohibendo virtutes, teneretur Ecclesiâ credere vitia esse, & virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare. Quam rationem attigit etiam Magister Cano, vbi suprâ conclus. 2. pag. 193. *Si enim Ecclesiâ (inquit) vel expressio iudicio, vel lege latâ turpia probaret; aut reprobarret honesta, hic error non solum fidelibus perniciem afferret; sed fidei etiam adversaretur, quæ omnem virtutem probat; vniuersa vitia damnat*. Ipsaque ratio dicit Pastorem vniuersalem totius Ecclesiæ errare non posse in legibus, & præceptis vniuersalibus morum: quia, vt idem Author inquit ibidem conclus. 1. si erraret in moribus, non pasceret salubriter oves: non enim moralis doctrina minus exigitur ad pastum ovium Christi salutarem, quàm fidei disciplina.

35 Hoc supposito, iam ostenditur, non posse Papam errare.

errare in Sanctorum Canonizatione: nam, vt ait D. Thomas quodlibet. 9. art. 16. *Cultus, quem Sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, quâ Sanctorum gloriam credimus,* ac proinde decretum, quo Romanus Pontifex obligat omnes fideles ad sentiendum, hominem canonizatum esse Sanctum, & vt talem colendum, est decretum ad mores spectans, & totam Ecclesiam respiciens: expedit enim ad sanctitatem Ecclesiæ promovendam, ad fidem, & spem excitandam, quòd Sancti canonizentur, & ideò de fide est, Christum reliquisse in suâ Ecclesiâ auctoritatem ad Sanctos canonizandos, vt ostendemus sect. sequenti: ergo, si certum est Ecclesiam non posse errare in decretis morum, certum est, non posse errare in Sanctorum Canonizatione.

36 Confirmatur: quia hominem iniquum, qui in inferno est, pro Sancto colere, de se ex parte obiecti est intrinsecè illicitum, & turpe, & solum per ignorantiam invincibilem excusari potest à culpâ: ergo nequit Ecclesia præcipere, vt pro Sancto colamus hominem iniquum in inferno existentem; At Ecclesia præcipit, vt pro Sancto colamus omnem hominem ab ipsa canonizatum: ergo nullus homo ab Ecclesiâ canonizatus potest esse iniquus, & in inferno existens: ergo omninò certum est, non posse Ecclesiam errare in Sanctorum Canonizatione. Et sanè talis error redundaret in vilipendium Ecclesiæ, & Divini honoris: irriderent enim etiam ipsi Dæmones Ecclesiam

Christi, si viderent eos, quos secum in inferno detinent ab ipsâ coli, & illam eorum precibus se commendare.



## S E C T. VI.

*De fide est homines canonizatos esse verè  
Sanctos, ac proinde non posse Papam er-  
rare in Sanctorum Canoniza-  
tione.*

37 **H**ANC conclusionem pono cum Authoribus  
tertiæ sententiæ citatis sect. 2. & vt illam  
probem ad hominem contra Magistrum Bañez, assero  
primò, de fide esse Christum reliquisse in Ecclesiâ suâ au-  
thoritatem ad canonizandos Sanctos. Hanc conclusio-  
nem verissimam censet ipsè Bañez: siquidem eo art. 10.  
dub. 7. pro decissione dubij. *An Romanus Pontifex errare  
possit in Canonizatione Sanctorum?* statuit hanc primam  
conclusionem: *Hæreticum est negare, esse authoritatem in Ec-  
clesiâ, & Pontifice ad Sanctos canonizandos.* Eamque probat  
primò ex traditione, & perpetuo vsu Ecclesiæ, & com-  
muni consensu omnium Conciliorum, & Patrum à prin-  
cipio nascentis Ecclesiæ: semper enim huiusmodi pote-  
stas Ecclesiæ, & Pontifici credita est. Quod confirmat ex  
Concilio Florentino in decreto super vnione Armeno-  
rum, vbi præcipitur Armenis, vt Beatissimum Leonem. I.  
tanquam Sanctum, & Sanctorum Cathalogo meritò des-  
criptum de cætero venerentur.

38 Secundò probat eandem conclusionem: quia  
hæreticum est, negare Sanctos invocandos esse, vt patet  
ex multis Concilijs, & ex Decretalibus lib. 6. & Clemen-  
tinis, & Extravagantibus de reliquijs, & veneratione San-  
ctorum, & demum ex Concilio Tridentino sess. 25. in de-  
creto de invocatione, & adoratione, & reliquijs Sancto-  
rum: ergo authoritas est in Ecclesia ad Sanctos canoni-

zan-

zandos. Probat consequentiam: quia aliàs non esset hæreticum negare, invocandos, adorandosque illos esse, qui ab Ecclesia canonizati sunt. Probat tertio conclusionem: quia constat ex sacris litteris, plurimos Sanctos esse in cœlo tam veteris, quàm novi Testamenti, quorum Catalogus habetur Ecclesiastici 44. & ad Hebræos 11. & similiter manifesta hæresis esset negare B. Virginem, & Apostolos, & D. Stephanum, & alios similes, quorum in Sacrà Scripturâ fit mentio, eorumque sanctitas celebratur, esse in gloriâ: ergo huiusmodi potestas debuit in Ecclesiâ permanere ad confirmationem Christianæ Religionis, dum fidelibus Sanctorum exempla proponuntur, quorum animæ iam nunc esse *in gloriâ indicantur*. Hæc Bañez.

39 Vnde contrâ ipsum probò, de fide esse Sanctos canonizatos in æternum cum Christo regnaturos, ac proinde, de fide esse, quòd non possit Pontifex errare in eorum Canonizatione: & sic argumentor. Per te hæreticum est negare invocandos, adorandosque illos esse, qui ab Ecclesiâ canonizati sunt: ergo Catholicum, & de fide est illos invocandos, & adorandos. Patet consequentia: quia quoties propositio negativa est hæretica, affirmativa ipsi contradictoria est de fide. Tum sic: ergo de fide est in æternum cum Christo regnaturos illos, qui ab Ecclesiâ sunt canonizati. Probo hanc consequentiam: quia ideò de fide est, invocandos, & adorandos esse illos, qui ab Ecclesiâ sunt canonizati, quia dum eos canonizat, declarat iustum, & sanctum esse illos invocare, & adorare, & iubet, ut ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti. At pariter, dum Ecclesia Sanctos canonizat, declarat, & definit, illos esse Sanctos, & in æternum cum Christo regnaturos, & ad ita iudicandum omnes obligat, ut constat ex dictis sect. 1. Imò ideò definit illos esse invocandos, & adorandos, quia definit esse Sanctos; & non è

contrariū sicut enim prius est Ecclesiam iudicium ferrē de illorum sanctitate, quā iubere, vt pro Sanctis colantur, ita prius est, Ecclesiam declarare illos esse Sanctos, quā declarare, esse invocandos, & adorandos.

40 Et sanē quis non videat, absurdissimum esse asserere, de fide esse invocandos, & colendos esse omnes Sanctos canonizatos, si posset contingere, vt aliquis eorum esset in inferno? Nequit enim esse de fide, invocandum, & colendum tanquam Sanctum hominem existentem in inferno, quia, quod de fide est, ab Ecclesiā declaratur ex speciali impulsu Spiritus Sancti: nequit autem Ecclesia ex hoc impulsu declarare esse Sanctum, & pro Sancto colendum hominem re ipsā iniquum, & in inferno commorantem: nam si Spiritus Sanctus nequit esse author errorum, etiam quando respectu nostri sunt invincibiles: hoc enim non minū repugnat primæ veritati, quam supremæ rectitudini causam esse, quod homines transgrediantur legem Divinam, quam Deus vult observari voluntate antecedenti, cui repugnat quod Deus moveat ad ipsius transgressionem, & multo minū potest Spiritus Sanctus esse author erroris tam perniciosi reddentis sponsam suam Ecclesiam contemptibilem; qualis est error colendi, vt Sanctum hominem damnatum: merito enim Dæmones irrideret Ecclesiam se commendantem precibus hominis, quem ipsi vident secum in inferno torqueri: ergo si de fide est, colendos esse tanquam Sanctos omnes canonizatos ab Ecclesiā, de fide erit, nullum eorum esse in inferno, vel saltem ita certum, vt oppositum contingere minimè possit.

41 Argumentor secundò: de fide est non posse Romanum Pontificem errare in decretis morum totam Ecclesiam obligantibus, v.g. non posse declarare esse illicitum, & à Deo prohibitum id, quod Sanctum, & à Deo præceptum, vel saltem licitum, & à Deo permissum; vel esse

esse licitum id, quod lege aternâ prohibitum est; at decretum Canonizationis Sanctorum est decretum morum, & totam Ecclesiam obligat, vt per se patet: ergo de fide, est Papam non posse errare in hoc decreto. Maior constat ex dictis sect. præcedenti, & insuper probatur: nam Martinus V. cum Concilio Constantiensi, postquam legitimum, & Generale sine controversia fuit, fess. vltima in Bulla, quæ incipit: *Inter cunctas* satis perspicuè definiuit, Ecclesiam errare non posse in decretis morum: nam in eâ Bullâ post damnatos errores Vviclephi, & Joannis Hus præcipit, omnes de hæresi suspectos interrogari: vtrùm credant, quod *sacrum Concilium Constantiense vniuersalem Ecclesiam representans approbavit, & approbat in favorem fidei, & salutis animarum, quod hoc est ab omnibus Christi fidelibus approbandum, & tenendum, & quod condemnauit, & condemnat, esse fidei, & bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum, & pro condemnato credendum, & asserendum.*

42 Ratio autem à priori est: quia de fide est, Christum committentem Petro, & successoribus eius totum suum ovile eis tradidisse omnem authoritatem ad rectè pascendum gregem suum veritate, & virtute, id est, in doctrinâ, & moribus: quis enim Princeps sapiens eam omnem potestatem suo Vicario non confert, quæ necessaria est ad finem consequendum, propter quem eum constituit? Atqui authoritas infallibilis ad determinandas fidei, & morum controversias, id est, ad declarandum, quid fidelibus tenendum est vt verum, quid respuendum vt falsum, quid amplectendum vt necessarium, vel vtile ad salutem, quid reiiciendum vt nocivum, vel inutile, necessaria est ad finem pascendi debito modo gregem Christi, & conservandi in illo vnitatem fidei, & morum: quia sine illâ infallibili authoritate non posset esse infallibilis regula visibilis nobis proponens veritates fidei: nam

si Ecclesia erraret aliquando, etiam per ignorantiam invincibilem, eius autoritas periret circa res fidei definiendas, & ad credendum proponendas: qui enim in vna re, quam omnibus credendum proponit, fallitur, & fallit, indignus est, cui certa fides adhibeatur in reliquis, quamvis asseveret esse certissimas: vnde non haberemus certam regulam circa ea, quæ à nobis tanquam certa proponuntur, vt eis firmiter adhæreamus, sed merito dubitare possemus, an etiam in hoc ipso per ignorantiam invincibilem falleretur Ecclesia, atque ex consequenti nos falleret, quamvis nos excusaremur à peccato propter eandem ignorantiam invincibilem.

43 Quod autem de fide sit Christum communicasse Petro, eiusque successoribus Romanis Pontificibus necessariam ad pascendum totum ipsius ovile veritate, & virtute potestatem, patet: nam Christus Dominus supra Petrum determinatè, eiusque successores (quorum vnusquisque communionem eiusdem autoritatis esset in Ecclesia futurus quasi alius Petrus) voluit, vt inniteretur totum Ecclesiæ ædificium, dum Matthæi 16. singulariter Petrum alloquens, dixit: *Super te edificabo Ecclesiam meam: & Joannis 21. Pasce (tu Petre) oves meas.* Et Lucæ 22. *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* harum enim sententiarum ea vis est, vt intelligere debeamus, per neminem alium hominem singularem, nisi qui communionem eiusdem autoritatis re verà sit tanquam ipse Petrus, quique habeat præceptum illud pascendi oves Christi vniversas, Ecclesiam Regi; ac proinde obligari ad recipiendum fidei, & morum instituta, quibus illius ædificium contineatur. Ideò enim cæteris Apostolis prætermisissis solum Petrum ex nomine toties, tamque singulariter Christus compellavit, vt ea re clarè significaret, per nullum alium hominem singularem velle se Spiritu Sancto ita instruere Ecclesiam, sicut per Petrum, & eos qui  
in

in eadem autoritate futuri essent tanquam ipse Petrus: nec enim providere voluit Christus Ecclesie suae ad annos duntaxat 25. quibus Petrus victurus erat; sed vsque ad consummationem saeculi.

44 Denique probatur, de fide esse, quod homo ab Ecclesia canonizatus salvatus sit, & in aeternum cum Christo regnaturus: siquidem vt constat ex dictis disp. 1. vt credamus fide Divina individuum formaliter contentum sub propositione vniuersali revelata sufficit, quod moraliter certi sumus, illud individuum contineri sub illa ratione vniuersali; at moraliter certi sumus, hominem canonizatum contineri sub hac vniuersali revelata, *Omnes, qui moriuntur in gratia saluantur, & in aeternum cum Christo regnabunt* nam publica fama sanctitatis, testimonium iuratum multorum de sanctitate alicuius defuncti, & miracula, praesertim post mortem sequuta, reddunt moraliter certam hanc particularem contingentem: *Hic homo decessit in gratia*: quamvis enim gratia sit donum Dei internum, quod in se ipso a nobis in hac vita videri non potest; illa tamen potest nobis per opera egregia virtutum, quae sunt fructus ipsius, innotescere, iuxta illud Christi Matth. 7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Unde, cum Ecclesia in canonizandis Sanctis vtatur his testimonijs, & argumentis sanctitatis, redditur moraliter certa de salvatione hominis canonizandi, proindeque potest illius sanctitatem credendam proponere: nec Deus permittere valet, vt hoc praestet Summus Pontifex, nisi illa certitudo moralis coniuncta re ipsa sit cum veritate.

45 Haec ratio praecise sumpta non probat, Sanctum canonizatum esse iam in gloria, sed duntaxat, vel iam esse, vel postea futurum; coniuncta tamen cum illa alia propositione de fide, quod *animae Sanctorum vident statim Deum, si in corpore, vel extra corpus a reatu poenae purgatae sunt*: recte probat, Sanctum illum esse in gloria: quia mo-

raliter certum est, hominem iustum tot virtutibus, & meritis à Deo decoratum, & miraculis insignitum, vel Purgatorium non intrasse, vel citò ab illo exiisse, & iam ante canonizationis punctum in Cœlesti gloriâ fuisse receptum. Quòd si dicas: Ergo Pontifex antequam Sanctum canonizet, potest iam fide Divinâ credere, illum in æternum cum Christo regnaturum: siquidem per informationes authenticas, & miracula certus moraliter est, illum hominem decessisse in gratiâ; & aliunde fide Divinâ credit omnem hominem decedentem in gratiâ in æternum cum Christo regnaturum; si hoc, inquam, dicas, respondeo concedendo sequelam.

46 Sed vrgebis, hanc sequelam esse absurdam: quia inde efficietur, antequam Pontifex definiat aliquam veritatem, iam illam credere fide Divina. Respondeo: quando Pontifex definit aliquam veritatem revelatam à Deo, & Ecclesiæ proponit illam revelationem, & reflexè dicit, id esse de fide, posse credere ante definitionem, illud esse de fide in se, seu quoad motivum, quo nititur fides, licet non sit de fide quoad obligationem publicam credendi: quia non potest habere intentionem obligandi totam Ecclesiam ad credendum illud esse à Deo revelatum, quin antecedenter ad hoc decretum ipse apud se moraliter certus sit, id esse à Deo revelatum; postquam autem sic certus est, potest fide Divinâ privatâ credere illud mysterium, quia revelatum; hic tamen actus fidei elicited ante definitionem non est necessarius ad illam credendam; sed satis est iudicium fidei humanæ moraliter certæ, quo sibi persuadeat illud mysterium revelatum esse à Deo, vt transeat immediatè ad definitionem.

47 At quando definitio Pontificis non est quasi reflexa, & applicans revelationem immediatam, & formalem antea factam; sed est definitio directa alicuius veritatis, ante definitionem nequit Pontifex fide Divinâ credere

dere illam veritatem; sed satis est, quòd possit, ac debeat ante definitionem elicere iudicium firmum de illa veritate, quòd iudicium, quando res est definibilis, & definienda, est supernaturale, & essentialiter verum, elicited ex assistentia Spiritus Sancti, qui hoc ipso quòd infallibiliter assistit Papæ, ne definiat rem falsam, assistit ipsi, ne ante definitionem erret in iudicio, quòd format de veritate definiendâ. Post definitionem autem potest ipse, sicut reliqui, credere rem illam, quia Deus per os sui Vicarij eam manifestavit Ecclesiæ, & iam post definitionem est de fide, cum ante illam non esset.

48 Sed quæres, an alij fideles, qui ante Canonizationem certi moraliter sunt de sanctitate illius hominis defuncti, possint fide Divinâ credere ipsum in æternum cum Christo regnaturum? Respondeo, si ante sententiam Pontificis possunt esse certi moraliter de eo, quòd homo ille decesserit in gratiâ, posse credere fide Divinâ, illum cum Christo regnaturum: quia per illam certitudinem applicatur ipsis sufficienter revelatio vniversalis; quòd omnis homo decedens in gratiâ in æternum salvus est. Cæterum communiter fideles nequeunt esse moraliter certi de decessu defuncti in gratiâ, nisi per sententiam Pontificis declarantis sanctitatem illius esse ritè probatam, ac proinde posse illum scribi in Cathalogo Sanctorum.

49 Advertendum tamen est, quòd quamvis Pontifex ante Canonizationem defuncti possit credere fide Divinâ, ex vi revelationis vniversalis, aliquem hominem regnaturum cum Christo, quia ante Canonizationem certus moraliter est de decessu eius in gratiâ; neminem tamen posse ante Canonizationem, quòd homo ille decesserit in gratia fide Divinâ credere: quia hoc nulli est revelatum, nec in particulari, nec in communi post Canonizationem verò iam illa veritas redditur omninò cer-

certa, & credibilis fide Divinâ: quia est revelatum, omnem definitionem Pontificis loquentis è cathedrâ cum intentione obligandi totam Ecclesiam esse veram, & certum est decretum canonizationis esse eiusmodi.

50 At contra rationem factam obijcies, posse quem fide Divinâ credere se esse in gratiâ: quia potest tot signa suæ contritionis videre, vt de illâ moraliter certus sit. Respondeo, negando sequelam, quia, vt diximus disp. 1. Deus non revelavit illam vniversalem, *omnis contritus est in gratiâ*, vt vllus homo certus reddatur de suâ gratiâ; cum potius voluerit vt, seclusâ speciali revelatione, nemo de hoc certus sit; sed solum vt singuli excitentur ad actus contritionis eliciendos; At è contrâ illam vniversalem, *Quicumque in gratiâ decessit salvus est*, eo sine revelavit, vt fideles certi sint de æternâ foelicitate eorum hominum, quos ipsis Ecclesia colendos proponit, vt ita eos securè invocare, & imitari possint. Secundò: quia signa, quibus Ecclesia vtitur in Canonizatione Sanctorum, sunt publica, plura, & certiora, ac proinde sufficientia ad certitudinem moralem; signa autem, quibus homo conijcere potest, se esse in gratiâ, sunt pauciora, privata, & incerta; Deus autem specia i providentiâ tenetur assistere, ne falsum subfit signis publicis, quibus sanctitas hominis canonizandi comprobatur, ne altoqui tota Ecclesia teneatur semper errare in re tanti momenti, qualis est pro Sancto colere hominem damnatum: vnde ad Divinam providentiam spectat non permittere, vt homo decedens in peccato illis signis ornetur, quibus Romanus Pontifex meritò induci possit ad ipsum canonizandum; non tenetur verò assistere, ne falsitas subfit illis signis, quibus homo prudenter induci potest ad iudicandum se esse in gratiâ: quia ex huiusmodi errore non sequeretur magnum aliquod incommodum.

51 Ex dictis patet absurdissimam esse sententiam

Ca-

Caietani, qui, vt vidimus sect. 21. & vt restatur Catherinus in opusc. de certâ Sanctorum gloriâ pag. 9. in eâ fuit opinione vt diceret Sanctos huiusmodi, quos Ecclesia canonizat, & recipit, non habere certitudinem apud nos suæ gloriæ, nisi humanam, id est, fallibilem, & verè incertam: & idem est iudicium de sententiâ Cani, qui Caietanum sequutus est.

S. E. C. T. VII.

*Soluntur ex dictis fundamenta Caietani,*  
*& Cani.*

52 **E**X dictis promptum est illa solvere: et si enim argumenta, quibus inducitur Pontifex ad canonizandum aliquem hominem in se inspecta, & vt præscindentiâ ab assistentiâ Spiritus Sancti, fallibilia sint; tamen vt subsunt illi assistentiæ, & providentiæ, quâ Deus Romanum Pontificem dirigit, infallibili habent connexionem cum veritate, nec fieri potest, vt Deus permittat Papam in his argumentis induci ad canonizandum defunctum, nisi quando illa in re coniuncta sunt cum veritate, vt enim inquit D. Thomas de hac materiâ scribens quodlibet 9. artic. 16. *Aliquid potest iudicari possibile secundum se consideratum quod relatum ad aliquid extrinsecum impossibile invenitur:* sic ergo Papa, si præcisè consideretur vt homo, potest errare; non tamen quatenus subest assistentiæ infallibili Spiritus Sancti, provt sanè subest, dum actu movetur ad proponendum tanquam Sanctum aliquem hominem toti Ecclesiæ cum intentione obligandi omnes fideles ad sentiendum, illum esse Sanctum, & tanquam Sanctum nicolendum.

53 Nec simile est, quod affertur de Indulgentijs, ad quarum valorem requiritur, quod causa, quæ Papam

movet ad ipsas concedendas re ipsa sit legitima: nam ille, dum Indulgentias concedit, non obligat fideles ad credendum, illas esse validas; sed præcipit, vel consultat rem honestam, & ut fideles libentius, & diligentius eam exequantur, indulgentiam largitur. Nec illud sequitur absurdum ex eo, quòd Pontifex existimans adesse causam legitimam ad concedendam Indulgentiam plenariam re ipsa fallatur circa illam causam, & sic Indulgentia evadat nulla: quia nihilominus hortatur ad id, quod ex se honestum est, & quamvis fideles exequentes opera pia præscripta à Pontifice ad lucrandam Indulgentiam, hanc non lucrentur ex defectu legitimæ causæ in concedente, lucrentur tamen fructus alios eximios illorum operum. At ex eo, quòd posset errare in Sanctorum Canonizatione, ingens sequitur absurdum, nempe quòd posset totam Ecclesiam obligare ad aliquid intrinsicè malum, nempe ad deferendum cultum homini damnato. Et sanè cum ille non sit Dominus Ecclesiastici Thesauri, nequit sine rationabili causâ illum dispensare pro libito: nec est inconveniens, quòd non habeat assistentiam infallibilem ad non errandum circa causam largiendi Indulgentias, sicut in Canonizatione Sanctorum.

54. Canus autem fallitur, dum arbitratur decreta Pontificum non posse esse firmiora, quàm sint principia, quibus inducitur ad illa edenda: nam firmitas definitionis Pontificiæ non sumitur ex firmitate principiorum, quibus Papa inducitur ad definiendum; sicut firmitas conclusionis sumitur ex firmitate præmissarum; sed sumitur ex assistentiâ infallibili Spiritus Sancti, qui permittere non potest, ut Papa inducatur re ipsa ad definiendum hominem defunctum esse Sanctum, nisi testimonia illa in re sint vera.

S E C T. VIII.

*Solvitur argumentum ostendens non esse de fide  
Sanctos Canonizatos esse in  
Cælo.*

55 **H**OC argumentum iam disp. i. datum est: nam si hoc de fide est, opposita sententia erit hæresis, quod tamen absurdum apparet. Respondeo distinguendum esse inter sensum directum de gloriâ Sancti canonizati, & sensum reflexum de certitudine sententiæ affirmantis, Sanctum Canonizatum esse in Cælo: nam qui reflexè negat eam sententiam habere certitudinem fidei, nec est hæreticus, nec hæresi proximus, nec erroneus, neque temerarius; sed probabiliter loquitur: quia nec Deus revelavit, illam sententiam esse certam certitudine fidei, nec Ecclesia hoc definiit: Pontifex enim definiens hominem à se canonizatum receptum esse in Cælo, nec directè definit, hoc esse credendum tanquam articulum, & dogma fidei, seu vt veritatem immediatè à Deo revelatam; sed solum iubet, vt fideles tanquam verum accipiant: nec definit reflexè, certam esse certitudine fidei sententiam affirmantem Sanctum Canonizatum esse in Cælo.

56 Quamvis autem vbi inconcusè apud omnes Catholicos aliquod mysterium est de fide, quia apud omnes constat esse à Deo revelatum, propositio affirmans illud mysterium sit exercitè de fide, non quidem per modum obiecti revelati; sed per modum formalis propositionis talis obiecti; tamen quando non constat apud omnes, sed apud aliquos, obiectum esse revelatum, idque ab ipsis non probatur argumentis evidentibus,

quæ omnes convincant; sed duntaxat probabilibus, quæ ipsos solos moraliter certos reddant de veritate obiecti: tunc licet obiectum illud sit in se de fide; tamen non est de fide, sententiam affirmativam illius obiecti esse de fide.

57 Si autem loquamur in sensu directo, dico eum, qui negat Sanctum aliquem canonizatum esse in Cælo, non fore formaliter hæreticum, nec hanc eius propositionem formalem hæresim; sed impiam temerariam, & erroneam. Nam vt rectè probat Eximius Doctor disp. 9. de fide, sect. 2. num. 13. vt propositio sit hæretica duo requiruntur, vnum est, vt propositio contraria sit certissimè, & indubitanter de fide; aliud est, vt altera propositio certissimè, & indubitanter illi repugnet: vnde fit, vt deficiente certitudine in altero ex his duobus, propositio hæretica non sit: quia propositio hæretica habet suæ premum gradum propositionis falsæ contra fidem, qui gradus non confurgit, nisi ex omnibus conditionibus simul sumptis: vnde si propositio, cui propositio *A* opponitur, non sit omninò indubitanter de fide, quamvis magnâ autoritate, & quasi communi consensu talis reputetur, propositio *A* erit quidem erronea; non tamen hæretica. Apponit exemplum secundum opinionem aliquorum in illo dogmate, quod dentur habitus per se infusi; quamvis enim probabilius sit illud esse de fide; fortasse tamen hoc non est ita certum, vt contrarium sit hæresis, erit tamen error. Hæc P. Suarez.

58 Similia habet P. Valentia tom. 3. quæst. 1. de fide, punct. 7. §. 41. vers. *Illud autem*. Ex hac doctrinâ à fortiori patet, non mereri censuram Theologicam hæretici; qui affirmaret Papam aliquando errasse in Canonizatione alicuius Sancti; eius tamen assertio foret impia, & erronea; vtpotè opposita conclusioni, quæ est omninò certa in Theologia, & ex revelatis manifestè deducta, &

quæ

quæ est de fide secundum sententiam valde probabilem, quam nos veram esse ostendimus.

S E C T. V L T I M A.

*An Papa possit errare in Sanctorum  
Beatificatione?*

59 **S**Ectionem istam breviter absolvemus ex dictis in præcedentibus. P. Castro Palao tom. tract. 4. disp. 1. p. 5. §. 5. num. 4. affirmat, eadem certitudine tenendum esse, Pontificem errare non posse in Beatificatione, ac in Canonizatione, & hanc sententiam sequuntur apud Dianam p. 11. tract. 11. resol. 19. Megala, Berreceli; at P. Amicus disp. 7. de fide. meritò aliter discurret de Beatificatione, quam de Canonizatione: nam cum num. 93. asseruisset, de fide esse Pontificem errare non posse in Canonizatione; postea num. 98. asserit non esse de fide errare non posse in Beatificatione, provt distinguitur à Canonizatione. Idque probat: quia si esset de fide Beatificatum esse in Coelis, in eo canonizando Pontifex non ulterius procederet maiorem diligentiam, novumque examen instituendo de sanctitate canonizandi: quia quod est de fide certum non eget ulteriori certitudine; at Pontifex post Beatificationem, si ad Canonizationem procedat, non est contentus priori examine, & diligentia pro Beatificatione factis; sed instituit novum examen, novamque diligentiam, idque non ad externam duntaxat solemnitatem, & pompam; sed ad maiorem certitudinem canonizandi habendam, ut praxis, & stylus Curie docet.

60 **Q**uòd si ei objicias omnes honores, & cultus, qui canonizatis exhibentur, exhiberi posse Beatificatis: ergo eadem certitudine certum est Beatificatum esse in

Cœ-

Cœlis, ac Canonizatum. Respondet primò negando consequentiam: nam canonizatis exhibentur vt debiti, & à Pontificia authoritate definiti; Beatificatis verò solùm vt permisi. Respondet secundò, negando antecedens: nam Canonizatis in eorum cultum, & honorem possunt erigi templa, & ab omnibus sacrum offerri, & Officium recitari; Beatificatis verò, nec templa erigi possunt, nec ab omnibus sacrum offerri, & Officium recitari, nisi tantùm ab illis, quibus in Bulla expressè conceditur: solùm enim Beatificatis possunt erigi altaria, & quidem ab his tantùm, quibus conceditur, posse sacrum offerri; non autem ab alijs. Præterea sacrum, & Officium de canonizato potest cum Octavâ celebrari; non autem de Beatificato, nisi de expressâ licentiâ Pontificis: aliasque differentias ibi assignat.

61 Nobis constanter asserendum est, non esse eâdem certitudine certum non posse errare Papam in Beatificatione, ac non posse in Canonizatione, prout modo fiunt: idque aliâ ratione validiori, quàm ea quæ ab Amico adducta est, probandum nobis est: ea autem sic se habet. Certum non est certitudine fidei, hominem Beatificatum decessisse in gratiâ, sed potius, salvâ totâ certitudine fidei, posset absolutè contingere, vt homo Beatificatus non decessisset in gratiâ, sed potius esset in inferno; at certum est certitudine fidei Sanctum Canonizatum decessisse in gratiâ, nec potest componi cum certitudine fidei, quod canonizatus sit in inferno: ergo non est eâdem certitudine certum Papam non posse errare in Beatificatione, quàm certum est non posse errare in Canonizatione. Paret consequentia, quia Papa erraret in Beatificatione hominis defuncti, si beatificaret existentem in inferno: ergo si non est certum certitudine fidei Divinæ hominem Beatificatum decessisse in gratiâ, atque adeo non esse in inferno, non est certum certitudine fidei Divinæ,

vinæ, Papam non posse errare in Beatificatione. Minor constat ex dictis disputatione antecedenti: quia Papa, dum Sanctum canonizat, definit illum decessisse in gratiâ, & præcipit omnibus, vt id tanquam verum accipiant, & illum tanquam Sanctum colant; At certum est certitudine fidei, Papam non posse errare, dum hoc definit: quia non potest tanquam Ecclesiæ caput, adhuc ex ignorantia invincibili, obligare totam Ecclesiam ad errandum in re tam gravi, quæ contradicit legi naturali, & Evangelio, nempe quod omnes habeant, & pro Sancto colant hominem existentem in inferno, vt probatum est disp. præced. Iam probatur maior primi syllogismi: quia Papa Sanctum beatificans, nec definit illum decessisse in gratiâ, ac proinde Sanctum esse, nec positivè præcipit, vt tanquam Sanctus colatur à totâ Ecclesiâ; imò nec ab aliquâ Provinciâ; sed tantummodò cultum permittit, nempe quòd in eius honorem erigantur altaria, celebrentur Missæ, & recitetur Officium Divinum; permissio autem istius cultus non reddit certam certitudine fidei sanctitatem Beatificati; alioqui esset de fide, Beatam Virginiem præservatam fuisse à maculâ peccati originalis: quandoquidem Ecclesia non solum permittit, sed positivè præcipit, vt celebretur festum Immaculatæ Conceptioni; constat autem id non esse de fide; ergo non est eadem certitudine certum Papam non posse errare in Beatificatione, quâ certum est non posse errare in Canonizatione.

62 Quare illud primum est certum certitudine inferiori ad certitudinem fidei. Assero ergo secundò, id saltem esse certum certitudine morali, ac proinde temerarium fore, & errori proximum asserere hominem Beatificatum esse in inferno: cum enim Beatificatio sit via ad Canonizationem, & ad illam dirigatur; impossibile, saltem moraliter est, vt Romanus Pontifex de-

cre-

cretum Beatificationis edat, quin homo ille decesserit in gratiâ.

63 Affero tertio. Quamvis vi solius Beatificationis non possimus fide Divinâ credere beatificatum decessisse in gratiâ, possem tamen absolutè credere illum in æternum cum Christo regnaturum; non quidem vi definitionis Pontificiæ; sed vi revelationis: datur enim revelatio, quâ omnis decedens in gratiâ in æternum sit cum Christo regnaturus, & aliunde vi Beatificationis moraliter certi sumus hominem illum decessisse in gratiâ, nec de opposito datur opinio probabilis inter Catholicos: ergo possumus ob revelationem univ ersalem nobis sic applicatam fide Divinâ credere illam veritatem: sicut quia fide Divinâ certum est verum esse, quidquid Concilium Generale legitimum definivit, & certi moraliter sumus Tridentinum, v.g. definisse iustificationem fieri per formam inhaerentem, possumus hanc veritatem fide Divinâ credere; quæ patent ex dictis disp. 1. sic enim credimus fide Divinâ hunc numero hominem esse verum Christi Vicarium, quia revelatum est, & à Florentino in litteris unionis definitum omnem hominem ritè electum in Pontificem Romanum esse verum Christi Vicarium, & nobis certitudine morali, atque evidentiâ constat Innocentium XI. esse ritè electum, & pro vero Christi Vicario à totâ Ecclesiâ acceptatum, quæ certitudo, cum sit de factò exteriori omnibus noto, est multò maior, quam certitudo de decessu in gratiâ hominis Beatificati: & sic fides illius veritatis magis assimilatur fidei de gloriâ Canonizati, quam Beatificati: quia cum impossibile sit iuxta principia fidei, vt tota Ecclesia erret in accipiendo pro dogmate fidei aliquid falsum, ita impossibile est, vt tota erret in accipiendo pro capite suo hunc numero hominem, ac proinde postquam ille pacificè acceptatus est à totâ Ecclesiâ, iam est certum

cer-

certitudine fidei, fuisse ritè electum, ac proinde ex omni parte est absolutè de fide Innocentium XI. esse verum Christi Vicarium: sicut omninò certum est, Sanctum Canonizatum esse in gloriâ: non enim minùs certum est, non posse totam Ecclesiam errare circa regulam vivam fidei, quàm non posse errare Papam in definiendo decessum in gratiâ hominis canonizati: quia vt inquit P. Suarez disp. 10. de fide, sect. 5. num. 6. *Deceptio in regula fidei credendâ equipararetur errori in fide; imò esset perniciosior, quàm error contra dogma particulare: mutaret enim nostra fides, si vera regula viva fidei non foret ille, quem pro vero Papâ tota Ecclesia agnoscit: si enim certum omninò non foret hunc hominem esse verum Christi Vicarium, quomodo firmâ fide amplecti possimus illa, quæ ipse è cathedrâ credenda proponit, dum aliquam doctrinam condeninat, vt hæreticam, vt fecit Innocentius I. contra Pelagium, & Innocentius X. contra Jansenium, quando quinque eius propositiones tanquam hæreticas damnavit?*

## DISPUT. II.

### Præcipuè intentâ.

*In quo gradu certitudinis infrâ fidem sit nunc  
sententia Pia de Immaculata Virginis  
Conceptione?*

64 **S**upponimus immunitatem Deiparæ à peccato originali non esse certam certitudine fidei Catholicæ, vt constat ex varijs Pontificum de-  
cisionibus in hac disputatione allegandis, præsertim ex novissima constitutione editâ in favorem huius mysterij

*Supponitur, non esse certam certitudine fidei.*

rij ann. 1661. ab Alexandro VII. quæ incipit: *Sollicitudo*, & inter constitutiones huius Pontificis est 117. & habetur tom. 5. Bullarj. Non est animus veritatem Immaculatæ Conceptionis directè probare, sed, eam supponendo, examinare, quem gradum certitudinis infra fidem habeat nunc sententia pia? Antequam autem ad hoc deveniamus, aliqua scitu dignissima præmittenda sunt.

## S E C T. P R I M A.

*An Ecclesia aliquando declaraverit sententiam affirmativam contractionis peccati originalis esse probabilem?*

65 **M**Agister Bartholomæus de Medina 3. p. q. 27. artic. 2. tanquam certum supponit id Ecclesiam tradidisse: nam conclus. 2. in 2. dubit. inquit, vtrùm sit de fide quòd vtraque pars huius controversiæ probabilis sit? Et respondet, quod qui hoc ausus fuerit affirmare hæreticus non est, sed temerarius, & excommunicatus excommunicatione maiori: quia discedit à communi sensu Ecclesiæ, quæ asserit vtramque opinionem esse probabilem, propter quod anathema meretur; verùm non est hæreticus: quoniam Ecclesia nunquam definit tanquam de fide aliquam opinionem esse probabilem, imò nec potest definire, *ut ego existimo*. Hæc Medina, qui si censeret Ecclesiam posse definire aliquam opinionem esse probabilem, vel probabiliorem, provt posse probat Salazar de Conceptione cap. 43. §. 1. cum Soto, Cano, Vazquez, Turriano, & Arrubal, profectò sentiret, de fide esse, quod sit probabilis opinio illa severa de Conceptione maculatâ.

66 Medinam sequitur Libellator Romanus, id est,  
Au-

Author anonymus, qui cum ann. 1644. sub Urbano VIII. prodijisset decretum Inquisitionis Romanæ, quo iubebatur, ne titulus *Immaculatæ* adiungeretur Conceptioni, sed Virgini, id est, ne diceretur Conceptio Immaculata Virginis, sed Conceptio Virginis Immaculatæ, ipse postmodum ann. 1646. sub Innocentio X. duos edidit libellos supplices præsentandos Congregationi Cardinalium Inquisitionis Romanæ sub prætextu quidem illius decreti defendendi, revera tamen animo deturbandi piam sententiam ab amplissimo statu, ad quem à Sede Apostolica fuerat evecta. Libellos hos invenies in Armamentario Seraphico à colum. 6. vsque ad 26. & in eleganti, atque eruditâ Apologiâ, quam pro titulo Immaculatæ Conceptionis in lucem edidit ann. 1650. D. Antonius Calderon. Illorum autem libellorum Authorem fuisse R.P. Thomam Turcum insignem Theologiæ professorum, & totius Ordinis Prædicatorum Magist. Generalem, affirmat eruditissimus Petrus de Alva in Sole veritatis colum. 217. editionis postremæ Lovaniensis factæ ann. 1666. Author ergo iste in 2. libello num. 2. affirmat, *Pontifices, qui de Conceptione statuerunt, plura decrevisse, vt à definitione abstinentes, & vtramque sententiam in gradu probabilitatis relinquentes, excitatas turbas componerent.* Deinde num. sequenti asserit, *Reliquorum Pontificum post Sixtum IIII. decreta ad vtriusque sententiæ probabilitatem servandam directâ.* Præterea num. 4. dicit, quòd à Gregorio XV. assistentè Spiritu Sancto decretum prodijt vtranque sententiam in suâ probabilitate *confirmans.*

67 Idem sentit Caramuel in Apologemate de probabilitate edito contra Prosperum Facnanum ann. 1663. siquidem ibi num. 219. asserit Alexandrum VII. post alios Pontifices condemnasse hanc propositionem: *Improbabile est, (id est, non est probabile) Deiparam esse in*

peccato conceptam. Idem autem est Pontificem damnasse hanc propositionem, ac stabilisse illius contradictoriam, nempe hanc: *Probabile est, Deiparam esse in peccato conceptam.* Et num. 157. asserit Alexandrum VII. resolvisse, & toti Ecclesiæ proposuisse in quæstione, quæ inquiri, *An Deipara sine labe concepta sit.* duas dari opiniones probabiles: nam relatis Alexandri VII. tunc viventis verbis, subdit: *Ecce Sanctissimo Domino nostro resolvente, & toti Ecclesiæ proponente in quæstione, quæ inquiri, an Deipara, &c. due dantur opiniones probabiles.*

68 Nos tamen oppositum asserimus cum Eximio Doctore tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6. Egidio Lusitano lib. 3. de Conceptione, quæst. 6. art. 1. num. 54. & num. 83. cum sequentibus, præsertim num. 99. D. Antonio Calderon cap. 5. num. 8. cum Joanne Everardo Nidarado in Regnis Hispaniæ Inquisitore Generali, & postea S. R. Ecclesiæ Cardinali, in examine Theologico p. 1. §. 8. & p. 2. §. 6. 7. & 8. & p. 4. §. 5. & in responsione Apologetica ad librum Joannis Martinez de Prado p. 1. §. 3. & p. 3. §. 2. cum Joanne Sandin in Epitome Sacræ punct. 1. cum P. Moya tom. 2. tract. 1. quæst. 2. num. 17. cum Francisco Bonæspei in Apologemate retorto contra Caramuelem, dub. 8. num. 62. & denique cum P. Cardenas in Crisi Theologica contra Caramuelem tract. 1. disp. 9. cap. 18. art. 2. & 3. præsertim num. 289. cum his ergo Authoribus dicimus, Ecclesiam nunquam definisse, aut declarasse, probabilem esse opinionem affirmantem B. Virginem fuisse conceptam in peccato: *Nunquam enim Pontifices (inquit Eximius Doctor) hoc dicunt, sed solum non esse erroneam, neque peccatum mortale, illam asserere.*

69 Id patebit in medium proferendo verba, quibus inductus est Caramuel ad asserendum hunc Pontificem resolvisse, & toti Ecclesiæ proposuisse, probabilem esse illam

illam opinionem. Igitur Alexander postquam in illâ suâ constitutione sententiam piam exaltavit, subiunxit §. 6. *Vetamus autem* Sixti IV. cōstitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut peccatum mortale incurrant, cum à Romanâ Ecclesiâ, & ab Apostolicâ Sede nondum fuerit hoc decissum, provt nos minimè decidere volumus, *aut intendimus*. Ex his autem verbis malè deduxit Caramuel præfatam illationem, stat enim aliquem neque crimen hæresis, neque peccatum mortale incurrere in præstando assensum alicui opinioni, quin hæc sit absolutè probabilis: tum quia, vt non sit absolutè probabilis, sufficit quod assensus ipsi præstitus non sit absolutè prudens; potest autem non esse prudens, quin sit hæresis, vel peccatum mortale; tum quia passim Authores pronuntiant, aliquam opinionem non esse absolutè probabilem, quin propterea dicant, vel dicere intendant incurrisse crimen hæresis, vel peccatum mortale assertores illius opinionis.

70 Et fanè ab Alexandro VII. illud non fuisse declaratum, inde evincitur: nam Pontifex iste in eâ constitutione, §. 4. declaravit, Ecclesiam Romanam, *De intemperate* semper Virginis Conceptione festum solemniter celebrasse, & speciale, ac proprium super hoc Officium instituisse iuxta devotam, ac laudabilem institutionem Sixti IV. & declarat obiectum cultus exhibiti ab Ecclesiâ esse gratiam in primo instanti creationis animæ Beatæ Virginis, & infusionis in corpus, vt postea expendemus. Vndè si simul in eadem constitutione declarasset, probabilem esse opinionem contrariam, declarasset, probabile esse Ecclesiam errare in colendo tanquam sanctam Conceptionem, quæ sancta non sit: sicut enim erraret, si coleret tanquam sanctum aliquem hominem, qui non de-

igillo  
cel-

cessit in gratiâ, ita in præsentî, &c. Itaque etsi Ecclesia non definiat Conceptionem Virginis fuisse Sanctam, illam tamen ut sanctam celebrat: sicut Nativitatem Virginis celebrat ut sanctam, quin vnquam definiat fuisse sanctam, & celebrat Assumptionem Virginis in corpore, & animâ, quin definiat sic fuisse assumptam.

71 Dices Pium V. in suâ constitutione *Super Speculam*, §. 1. declarasse opinionem illam severam esse probabilem: sic enim ait: *Liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controversiæ quamlibet partem, pro ut vel magis pium, vel magis probabile esse iudicaverit.* Caterùm id perperam infertur ex verbis Pij: nam ex illis neutram illarum sententiarum damnari; sed utramque permitti, dum aliud Sedes Apostolica non decernit. At replicabis: licet Pius per illa verba non declaret utramque sententiam esse probabilem: quia eius scopus fuit *prohibitio* disputandi in publicis prædicationibus de Conceptione B. Virginis, aut de ea vulgari *sermoni scribendi*, ut constat ex titulo constitutionis; tamen supponit utramque partem esse probabilem, ut patet tum ex verbis allatis, tum ex his, quæ addit §. 3. *Ceterùm quamdiu per Apostolicam Sedem alterutra pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis in publicis Academiæ disputationibus, vel ubi aliàs inter sunt, qui rem capere possunt, nec scandali vlla subest occasio de illa quæstione differere, & argumentis utramlibet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea prædicetur, serventurque illa omnia, quæ à dicto Sixto Prædecessore nostro statuta sunt, &c.* ex quibus Pij verbis colligi videtur, quod quamvis Pontifex solum prohibeat notam erroris, vel hæresis, aut peccati mortalis alterutri parti affigere; tamen utramque supponit esse probabilem.

72 Respondeo primò, ex verbis Pij ad summum colligi

colligi, ipsum supposuisse sententiam severam de peccato originali Virginis esse probabilem, vel simpliciter, vel saltem secundum quid, quatenus probabile illud dicitur, quod à viris probis, & sapientibus defenditur vt verum, & ab Ecclesiâ toleratur: siquidem sciebat Pius sententiam illam adhuc post constitutionem Sixti IV. defensam acriter fuisse, vt veram à Caietano coram Leone X. & Concilio Lateranensi, & ab alijs viris sapientibus Dominicanæ Familiæ, ac proinde in hoc sensu esse probabilem; non supposuit autem esse probabilem positivè probabilitate absolutè, & strictè tall, quæ necessariò postulat, ne pro parte contrariâ sint *urgentissima* fundamenta, quæ multos convincant, aut omninò ad illam affirmandam trahant vi certitudinis, qualia tunc iam erant pro sententiâ piâ.

73 Secundò dico: ex eo quod Pius supposuisset sententiam illam suo tempore esse probabilem, non sequi, quod modò sit absolutè probabilis: nam, vt inquit P. Suarez in præsentî disp. 3. sect. 6. conclus. 3. *Quod vno tempore est probabile, decursu temporis potest improbabile fieri;* sententia autem pia multum crevit in probabilitate post tempora Pij V. potuitque proinde opposita sententia à probabilitate cadere: quia insurrexerunt multi viri sapientissimi, qui monumenta Patrum dignissimè evolventes multa cruerunt fundamenta, quæ antea latebant.

74 Vt autem optimè inquit Gerson tom. 4. serm. de Conceptione in primâ consideratione: *Spiritus Sanctus* interdum revelat Ecclesiâ, vel Doctribus posterioribus aliquas veritates, vel expositiones Sanctæ Scripturæ, quas non revelavit eorum prædecessoribus: sic dicit Gregorius Daniel. 12. *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia Domini:* idè Moyse scivit plusquam Abraham, Prophetæ plusquam Moyse, Apolloli quàm Pro-  
phe-

pheta, & Doctores addiderunt multas veritates vltra Apostolos. Quapropter dicere possumus, hanc veritatem, B. Virginem non fuisse conceptam in peccato originali, de illis esse veritatibus, quæ noviter sunt revelatæ, vel revelatæ tam per miracula, quæ leguntur, quàm per maiorem partem Ecclesiæ sanctæ, quæ hoc modò tenet. Fuit tempus aliquod, in quo non tenebatur generaliter, Mariam Virginem esse in Paradiso in corpore, & animâ sicut modò tenetur: & similiter per institutionem festi Nativitatis Sancti Joannis, Nativitas Domine nostræ ordinata fuit per revelationem vnius solius fœminæ, & multa similia, &c. statimque addit in Consideratione secundâ: *Omni tempore* Doctores in Sacrà Scripturâ instructi authoritatem habent exponendi, & declarandi veritates, quæ ex ipsâ sequuntur, sicut habuerunt Doctores antiqui. Et si dicas, quòd non habent sanctitatem, Respondeo hoc non impedire quominus habeant talem authoritatem: quemadmodum Prælati novi similem habent authoritatem cum antiquis ad populum gubernandum, licèt talem non habeant *sanctitatem*. Hæc sapientissimus Gerson, quæ à nobis potiori iure dici possunt hoc tempore, *in quo* (vt inquit Alexander VII. in suâ constitutione §. I.) aucta rursus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Monasteria Religiosorum Ordinum, & Confraternitates, ac concessas ab ipsis Indulgentias, ita vt accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academijs ad hanc sententiam, iam fermè omnes Catholici eam amplectantur.

75. Celebrabat quidem tempore Pij V. Ecclesia solemne festum Conceptionis, & quamvis huius festi obiectum semper re ipsa fuisset sanctificatio B. Virginis in primo instanti infusionis animæ in corpus; tamen hæc veritas, non tam clara, tunc erat, ac modò est postquam insig-

nes Scriptores Pio V. posteriores manifestis argumentis ostenderunt, obiectum festi Conceptionis sen per fuisse gratiam Virginis in primo instanti animationis, & postquam novissimè Alexander VII. in sua constitutione id declaravit.

76 Denique quamvis permetteremus Pium in sua constitutione supposuisse opinionem Patrum Prædicatorum, esse tunc absolutè probabilem, id nihil nobis officeret: quia inde non sequitur Pium tanquam Ecclesiæ caput id è Cathedra declarasse, & fidelibus credendum proposuisse, sed duntaxat sequitur, tanquam Doctorem particularem id sensisse.

S E C T. II.

*An in Bullis Pontificum non solum sit prohibitum externè asserere, sed etiam internè sentire, quod mortaliter peccent tenentes sententiam rigidam de Conceptione Virginis Mariæ in peccato?*

77 **P**RO intelligentiâ questionis supponendum est, Sixtum IV. ann. 1483. edidisse extravagantem, quæ incipit, *Grave nimis*, vt reprimeret audaciam quorundam Prædicatorum, qui, postquam idem Sixtus ann. 1476. in extravaganti, *Cum præexcelsa* hortatus fuerat omnes fideles, vt de *Immaculate Virginis* mirâ Conceptione gratias, & laudes referant, & instituta propterea in Dei Ecclesia Missas, & alia Divina Officia, vt illis intersint, atque indulgentijs, & peccatorum remissionibus invitavit, & in quâ approbavit Officium Conceptionis ordinatum à Magistro Leonardo de Noguerolis

Clerico Veronensi Notario suo, in quo sæpè dicitur B. Virginem ob Christi merita præservatam fuisse à maculâ peccati originalis; nihilominus non erubescabant in suis concionibus ad populum per diversas Civitates prædicare, *Omnes illos qui tenent, aut asserunt, eandem gloriosam, & Immaculatam Deigenitricem absque originalis peccati maculâ fuisse conceptam mortaliter peccare, vel esse hæreticos.* In illâ autem extravaganti, *Grave nimis, vt horum hominum audaciam reprimeret, has eorum assertiones, vt falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas damnavit, & sub poenâ excommunicationis maioris ipso facto incurrendæ, & Papæ reservatæ severissimè prohibuit, & ne assertores sententiæ piæ contrariæ sententiæ defensores censurarent, subiunxit Sixtus similem prohibitionem his verbis: Simili poenæ, ac censuræ subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum mortale incurrere, cum nondum sit à Romanâ Ecclesiâ, & Apostolicâ Sede decissum.*

78 Hanc prohibitionem quoad vtramque partem innovavit Tridentinum anno 1546. sess. 5. in decreto de peccato originali, & Pius V. ann. 1570. in suâ constitutione *Super spe culam*, §. 3. necnon Paulus V. ann. 1616. in suâ Constitutione *Regis pacifici*, in quâ referens prohibitionem Sixti, apponit relativum subintellectum, & non expressum in Constitutione Sixti, dicens: *Cum nondum id sit ab Apostolicâ Sede decissum.* Innovavit præterea Gregorius XV. ann. 1622. in suâ Constitutione *sanctissimus*, & denique Alexander VII. ann. 1661. in Constitutione *Sollicitudo*, §. 3. in qua inhærens Constitutionibus Sixti IV. *Vetanus*, inquit, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam in peccato originali fuisse con-

conceptam, hæresim, aut peccatum mortale incurrant, cum à Romana Ecclesiâ, & ab Apostolicâ Sede nondum fuerit hoc decissum.

79 Hoc supposito, quæritur, an violaturus sit hanc prohibitionem tot Pontificum, & Tridentini, qui apud se merè internè iudicet, peccare mortaliter eos, qui nunc post editam Constitutionem Alexandri, sentiunt B. Virginem præservatam non fuisse à maculâ peccati originalis; si tamen modò aliqui sunt, qui ita sentiant, quod de viris probis, & sapientibus præsumere non debemus? Illustrissimus Caramuel in suo Apologemate de probabilitate num. 86. affirmat Alexandrum VII. clarissimè definisse non esse peccatum mortale præbere assensum opinioni asserenti, B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali: *Neutrum assensum (inquit) quandiù pure mentalis sit, esse mortale definierunt Pontifices, & clarissimè Sanctissimus Dominus noster in Bullâ ultimâ oppositum asserentes condemnans.*

80 Verùm enim vero, cum aliud sit Pontificem non definisse, quod sit peccatum mortale, iudicare, & tenere sententiam rigidam, aliud positivè definisse, quod non sit peccatum mortale, Caramuel vnum cum alio confundens, paralogismo delusus est: primum enim est verissimum, quia cum Pontifex non definierit B. Virginem fuisse præservatam à peccato originali, profectò non definivit, quod sit hæresis, vel peccatum mortale sentire, & iudicare illam fuisse conceptam in peccato originali. Secundum verò ex primo non inferitur, quia ex eo quod Pontifex non definierit, aliquid esse peccatum mortale, non sequitur quod id non sit peccatum mortale: siquidem potest tale esse ex alio capite, vt contingere videtur in præsentì: nam assentiri opinioni rigidæ videtur opponi determinationi Ecclesiæ præcipientis, vt solemniter celebretur festum Conceptionis.

81 Nobis cum P. Moya tom. 2. tract. 1. quæst. 2. §. 2. num. 21. cum Eminentissimo Everardo in Examine Theologico, p. 1. §. 10. & cum P. Cardenas tract. 1. de probabilitate, disp. 9. cap. 18. art. 3. num. 286. dicendum est: licet verbis Sixti IV. & Alexandri VII. prohibeamur asserere, tenentes contrariam opinionem peccare mortaliter; id tamen internè sentire non videri prohibitum. Id probat cum Cardinali Everardo P. Cardenas ex illis verbis Bullæ. *Cum à Romanâ Ecclesiâ, & ab Apostolicâ Sede nondum fuerit hoc decissum. Rogo enim* (inquit) *ad quid refertur illud pronomen demonstrativum Hoc? Et quidem quando plura dicta sunt, pronomen hoc refertur ad postremum: quodnam ergo est postremum, & illi fini periodi proximum? sanè immediatum est hoc, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum peccato originali fuisse conceptam, hæresis crimen, aut peccatum mortale incurrant, cum à Romanâ Ecclesiâ, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decissum: ergo est sensus, quod nemo asserat opinionem minus piam esse hæresim, aut peccatum mortale, quia nondum est decissum ad Apostolica Sede Hoc, scilicet, quod sit hæresis, vel peccatum mortale.*

82 Et quamvis pronomen illud *Hoc* referatur ad controversiam de Conceptione, vt sensus sit, *cum nondum hoc, id est, hæc controversia de Conceptione ab Ecclesiâ Romanâ decissa, vt exponit Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 15. eadem responsio locum habet: cum enim aliud sit sentire, aliud asserere, peccare mortaliter tenentes contrariam opinionem, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, potuit Ecclesia prohibere hoc secundum sine primo, & quod ita factum sit, suadetur: quia prohibitio hæc expressè solum dirigitur contra eos, qui ausi fuerint asserere: ergo non debet extendi ad eos, qui*  
 pu-

purè mentaliter id in corde suo sentiunt : nam vt constat ex regulis iuris in 6. *constitutio pœnalis non extenditur*: tum quia odia sunt restringenda, tum quia, si id est certum in quibuslibet odiosis, multo magis in legibus, quæ pœnam grauisimam imponunt, præsertim ipso facto incurrendam, vt contingit in præsentì constitutione.

83. Secundò suadetur : nam Pontifices iustissimam habuerunt causam prohibendi assertionem censurantem sententiam minus piàm potius quàm prohibendi iudicium internum : quia per assertionem externam notabantur grauisimì Scriptores ex Sacrà Prædicatorum familiâ, & inter eos S. Thomas, qui ex zelo veritatis tuebantur B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali, & occasio dabatur scandalis, & contentionibus, quod præcipuè cavere intendebant Pontifices, vt constat ex eorum constitutionibus; id autem non militat in iudicio purè interno.

84. Et quidem qui nunc iudicaret, B. Virginem contraxisse maculam originalem, hoc ipso virtualiter iudicaret in Ecclesiâ celebrari cultu Diuino mendacium: nam ab Eccleâ celebrari præseruationem B. Virginis à maculâ peccati originalis, & gratiam pro primo instanti infusionis animæ in corpus, clarè ex dicendis constabit. Difficillimum autem est eiusmodi iudicium à culpâ mortali liberare : vt enim inquit Catherinus in disp. pro immaculatâ Conceptione lib. 2. pag. 62. *Quid detestabilius quam in Ecclesiâ celebrari cultu Diuino mendacia?* Ego quidem non assero, eos qui nunc ita iudicarent, peccaturos mortaliter, sed solum assero, per Bullas Pontificum non esse prohibitum, quòd quis mere interne sentiat peccare mortaliter ita iudicantes, & saltem hoc videtur constare, non acturum contra constitutiones Pontificum, qui assereret eos, qui nunc tenerent sententiam rigidam, peccaturos venialiter obnimiam tenaci-

tatem sui iudicij contra commune iudicium totius ferè orbis Christiani, & contra fauores exhibitos ab Ecclesiâ in sententiam piam.

## SECT. III.

*Quanam sint constitutiones Sixti IV. quas Tridentinum præcipit observari circa mysterium Conceptionis?*

85 **T**RIDENTINUM sess. 5. in decreto de peccato originali, cum dixisset non esse suæ intentionis in illo comprehendere B. Virginem, addidit *observandas esse constitutiones Sixti IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovavit.* Duplex autem huius Pontificis constitutio inserta est iuri Canonico lib. 3. extravagantium communium sub titulo de reliquijs, & veneratione Sanctorum, prima, quæ incipit *Cum præexcelsa*, in quâ festum Conceptionis instituens, fideles hortatur ad illud celebrandum, *ut de ipsius Immaculatæ Virginis mirâ Conceptione gratias, & laudes referant Deo, atque indulgentijs, & peccatorum remissionibus eos ad id invirat.* Secunda, quæ incipit *Grave nimis*, in qua pœnam excommunicationis statuit in eos, qui in hac quæstione alteram partem de hæresi, vel de peccato mortali notare præsumperint, &c.

86 Dubitatur ergo an Tridentinum iusserit observari utramque constitutionem? P. Vazquez 3. p. disp. 117. cap. 5. num. 54. & 55. arbitratur Concilium solum confirmare posteriorem constitutionem Sixti: *Nihil enim aliud, inquit, nisi utramque partem huius controversiæ indefinitam relinquere, sicut antea erat, & omnem occasionem seditionum, & contentionum inter fi-*  
de-

deles refecare. Quòd si ei obijcias, Tridentinum non dixisse, observandam esse constitutionem, sed observandas constitutiones, quòd signum est utramque approbasse. Respondet hoc non obtare quominus asserimus solam posteriorem illam confirmasse: quia hæc duas continet partes, quas Tridentinum constitutiones appellavit, vnam, qua prohibet Pontifex sub gravibus pœnis, ne quis dicat eos peccare, aut hæreticos esse, qui tenent sententiam piã, alteram, quã damnat eos, qui ausi fuerint dicere, tenentes sententiam rigidam peccatum, aut hæresim incurrere, & has duas partes Concilium vocavit constitutiones. Id autem ita esse inde probat Vazquez, quòd non solum innovat Concilium constitutiones Sixti IV. sed etiam pœnas earum. Prior autem illa, quæ incipit *Cum præexcelsa* nullam pœnam continet; duæ autem partes posterioris similem pœnam repetitam infligunt, atque adeo verè dicuntur pœnas continere.

87 Alij aliter respondent, nimirum Concilium confirmasse duplicem extravagantem editam sub eodem titulo *Grave nimis* à Sixto IV. nam præter extravagantem *Cum præexcelsa* editam ann. 1476. Sixtum edidisse aliàs duas incipientes per illa verba, affirmat Armamentarius Seraphicus column. 57. num. 5. & latè probat in Regesto column. 108. ex multis gravibusque authoribus, idemque affirmat D. Antonius Calderon cap. 7. num. 12. Prima edita est ann. 1481. vt constat ex illo Regesto 106. ad III. in priori in favorem sententiæ piæ damnat Papa duas propositiones, prima est, *Ecclesia Romana de spiritali tantum Conceptione*, & sanctificatione *Virginis festum celebrat*. Secunda: *Qui credunt, & tenent Dei genitricem ab originalis peccati maculâ in sua Conceptione preservatam fuisse, hæretici sunt*. In posteriori autem primam propositionem omnino omittit, & in favorem Conceptionis damnat etiam secundam,

dam, & insuper alias tres. Prima harum trium, & secunda ex quatuor ibi damnatis est hæc : *Qui credunt, & tenent, Virginem ab originali peccati maculâ in sua Conceptione præservatam fuisse, mortaliter peccant.* Tertia : *Qui officium Conceptionis celebrant, peccati reatum incurrunt.* Quarta : *Qui audiunt sermones de Immaculatâ Conceptione incurrunt etiam peccati reatum.* Utraque autem Bulla convenit in prohibendõ sub gravissimis poenis, ne vllus prædicare, aut docere audeat, hæreticum esse asserere B. Virginem non fuisse præservatam à peccato originali; differunt tamen, quòd posterior prohibet etiam asserere, quòd tenentes sententiam rigidam peccant mortaliter, quòd non prohibet prior, & insuper in posteriori adduntur prohibitioni huic illa verba, *Cum nondum sit à Romanâ Ecclesiâ, & Apostolicâ Sede decissum.*

88 Ex his duabus extravagantibus sola posterior inserta est iuri communi; posterior verò reperitur in monumentis Ordinis Minorum, & in Bullis Rodriguez fol. 137. His præmissis, Ægidius Lusitanus lib. 6. de Conceptione q. 6. art. 1. §. 6. num. 36. Salazar cap. 33. num. 4. & cum eis Calderon cap. 7. num. 18. existimant, utramque extravagantem *Grave nimis* confirmatam fuisse à Tridentino, quòd probant: nam Concilium non vnus tantum constitutionis meminit, ait enim: *Sed observandas esse constitutiones Sixti Papæ IV. &c.* fuerunt ergo istæ constitutiones, vt minimum duæ: non potest autem ad hunc numerum redigi illa constitutio, qua Sixtus officium Conceptionis approbavit, & illud recitantibus, festumque agentibus gratias indulgit: in hac enim nullas inobedientibus interminat poenas: ergo dicendum est, Concilium loqui de vtrâque constitutione *Grave nimis.*

89 Assero primo contra hos Authores Concilium non confirmasse constitutionem illam *Grave nimis*, quæ  
in-

inserta non erat iuri communi : quia illa non est edita post eam , quæ nunc extat in corpore iuris , vt falsò existimat P. Salazar ; sed antea , vt constat ex ipsa Bulla Vndè Sixtus edens vno , vel duobus annis post extravagantem alteram incipientem cum eisdem verbis , & in ea nihil dicens contra eos , qui affirmabant Ecclesiam Romanam de solâ Conceptione spiritali festum celebrare , videtur priorem Bullam , quo ad hanc partem , revocasse , vel correxisse , vt locum relinqueret Patribus Dominicanis ad celebrandum festum Conceptionis sub nomine sanctificationis : Bulla enim illa prior damnabat propositionem affirmantem , Ecclesiam 8. Decembris de spiritali tantùm Conceptione , id est , de sanctificatione Virginis , festum celebrare , & consequenter prohibebat festum illud celebrare sub nomine sanctificationis , quod nomen præscindit ab eo , quod sanctificatio sit præservativa à peccato contrahendo , vel remissiva peccati iam contracti. Vndè si Concilium confirmasset hanc Bullam , confirmasset eiusmodi prohibitionem.

90 Hoc autem est falsum : quia sacra Prædicatorum Familia post decretum illud Tridentini factum ann. 1546. celebravit festum Conceptionis sub nomine sanctificationis per plures annos , & nefas esset dicere , hoc fecisse contra prohibitionem Tridentini. Assumptum constat ex Breviario Dominicano excusso Salmanticae ann. 1579. in quo Officium sanctificationis reperitur , vt testatur Calderon cap. 13. num. 19. & constat etiam ex Bullâ Gregorij XV. qui ann. 1622. *Omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quàm cuiuscumque Ordinis, & statuti Regularibus præcepit, vt in Sacrosancto Missæ sacrificio, ac Divino Officio celebrandis tam publicè, quàm privatim non alio quàm Conceptionis nomine utantur.* Quæ Bulla præcipuè directâ est ad exterminan-

dam consuetudinem, quæ apud Patres Dominicanos in multis Provincijs adhuc vigeat, celebrandi festum B. Virginis 8. Decembris sub nomine sanctificationis: quorsum enim id præciperet, si nulla Ecclesia hoc celebraret? Si autem aliquæ celebrabant id, sanè non aliæ, quàm Dominicanæ, in aliquibus saltem Provincijs, idque libellatores Romani supponunt, dum libello 1. num. 2. contendunt, diversum esse sensum in acceptione huius nominis *Conceptio* ante, & post Gregorium XV. quasi ante Gregorium, quando permittebatur Dominicanis celebrare hoc festum sub titulo sanctificationis supponeret nomen *Conceptio* pro Conceptione Immaculatâ; postea verò significaret aliquid indifferens ad sanctificationem pro primo instante, & pro reliquis: ideò enim contendebant, non posse post Gregorium titulum *Immaculatæ* adungi Conceptioni: quia si adiungeretur, cum omnes vi præcepti Gregorij tenerentur celebrare hoc festum sub nomine Conceptionis, cogerentur Dominicani celebrare in hoc festo Conceptionem Immaculatam, seu sanctificationem in primo instanti animationis, ac proinde præiudicaretur eorum opinioni contra mentem Gregorij.

91 Sanè tempore Caietani in multis suæ Religionis Ecclesijs celebrabatur hoc festum sub titulo sanctificationis: nam respondens argumento, quod ex hoc festo sumitur pro Immaculatâ Conceptione cap. 5. opusculi de Conceptione, ait huius argumenti vim deficere ex hoc capite: *Quia multæ, inquit, Ecclesiæ sunt per Orbem diffusæ celebrantes in illo die sanctificationem, non Conceptionem, & in hoc Ecclesia vnumquemque in suo sensu abundare permittit.* Undè constat ann. 1515. in quo Caietanus hæc scribebat, à Patribus Dominicanis in aliquibus Provincijs celebrari festum illud sub nomine, & titulo Sanctificationis, qui mos pervenit

vf-

vsque ad Gregorium XV. Quis autem sanæ mentis dicere audeat, Religiosissimam Familiam hoc fecisse contra decretum Sixti, & Tridentini: ergo planum videtur, Tridentinum non confirmasse privatam illam constitutionem Sixti, in quâ virtualiter, & æquivalenter prohibebatur celebratio festi Conceptionis sub titulo Sanctificationis.

92 Dices Authores celebrantes hoc festum sub titulo Sanctificationis nunquam asseruisse, Ecclesiam tantum celebrare Conceptionem spirituales, sed asseruisse, quod celebret Conceptionem naturalem ratione sanctificationis postmodum futuræ. Sed contra: quia Ecclesiâ non celebrat festum Virginis, nisi pro eo momento, in quo sancta fuit: vndè si sancta non fuit in primo instanti animationis, re ipsâ non celebrat Conceptionem naturalem, sed tantum spirituales, quæ à sanctificatione non distinguitur: nam post animationem, seu infusionem animæ non potest dici, quod Virgo concepta fuerit naturaliter: ergo solum poterit dici, quod fuerit concepta spiritualiter. Quod inde firmatur, quod Ecclesia nunquam celebrat festum, nisi de re sanctâ, vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 27. art. 1. ergo si celebrat festum de Conceptione naturali Virginis, quando nimirum anima infusa est corpori, illa fuit sancta; quod si sancta non fuit: ergo non celebrat Conceptionem naturalem, sed spirituales postea factam per infusionem gratiæ. Nec dici potest, celebrare Conceptionem naturalem in ordine ad sanctificationem postea futuram: siquidem hæc non est sanctificatio Conceptionis, quæ iam præterijt, & fuit immunda, sed sanctificatio Virginis, quæ permanet. Vndè si celebratur festum Conceptionis vt sanctæ, & Conceptio naturalis fuit immunda, non potest celebrari, nisi tantum Conceptio spiritualis, seu sanctificatio.

93 Secundò assero contra Patrem Vazquez, Con-

cilium per illa verba, *Observandas esse Constitutiones Sixti IV. sub pœnis in eisdem Constitutionibus contentis*, vtranque extravagantem insertam corpori iuris circa festum Conceptionis confirmasse, ac proinde idem statuisse, quod per vtranque statuerat Sixtus IV. est enim nimis violenta interpretatio, quod Concilium per *Constitutiones* intellexerit duntaxat duas partes eiusdem constitutionis. Primò: quia Doctores communiter illam constitutionem referunt vt vnâ. Secundò: quia ipse Pontifex de illâ loquitur tanquam de vna, dum in fine eius dicit. *Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire.* Tertiò: quia Pius V. in sua Constitutione *Super speculam*, agens de hac extravaganti *Grave nimis*, eam appellat *statutum*; Paulus verò V. *Constitutionem* vocat in suâ Bullâ *Regis pacifici*. Quartò: quia, cum illa constitutio non duas tantum prohibitiones contineat, sed quatuor, vel quinque, si semel potest dici duplex constitutio, poterit eodem fundamento dici quadruplex, vel quincuplex. Quintò: quia, cum Pontifex indefinitè loquatur de *Constitutionibus editis à Sixto circâ Conceptionem B. Virginis*, easque supponat, omnibus esse notas, vtpotè insertas iuri communi, & nullam excipiat, nullam nos cum fundamento excipere possumus, præsertim, cum fauores sint ampliandi, & constitutiones istæ editæ sint à Sixto IV. in fauorem Immaculatæ Conceptionis: ergo cum constet esse duas, & vtranque iuri communi insertam, dicendum est, vtranque à Concilio fuisse confirmatam: quemadmodum si quis edidisset duos diversos libros, & Concilium libros ralis Authoris approbasset, vtrosque censeretur approbasse.

94 Nec vrget fundamentum Patris Vazquez, *nimirum*, quod sola posterior constitutio pœnas transgressori-

De certitudine mysterij Concept. 61

foribus comminetur. Verissimè enim potuit Concilium dicere, *Observandas esse Constitutiones Sixti sub pœnis in eis contentis* quamvis vna duntaxat pœnas contineat: quemadmodum verò dicere possumus in partibus D. Thomæ contineri doctrinam aliquam, v. g. quod Christus primariò præfinitus sit in remedium peccati, ac proinde quod vi præsentis decreti, non veniret, Adamo non peccante; quamvis hæc doctrina in vnâ tantum parte contineatur, nempe in 3. similiter verissimè dicitur, aliquid præcipere S. P. N. Ignatium sub pœna excommunicationis in suis Constitutionibus, præcisè per hoc quod in octavâ, vel nonâ parte constitutionum hæc pœna contineatur, quamvis non contineatur in omnibus. Verissimè ergo Concilium per Synedochen dixit, se innovare pœnas contentas in Constitutionibus Sixti IV. quamvis in vnâ parte contineantur.

95 Et quòd hic sit Germanus sensus Concilij, docent Eximius Doctor disp. 3. sect. 5. P. Valentia tom. 4. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. colum. 411. & P. Salmeron, qui Tridentino interfuit, & egregiè simul cum P. Lainez laboravit pro defendendâ immunitate Deiparæ à peccato originali, & ne à Concilio comprehenderetur in decreto de peccato originali, vt testatur Cardinalis Palavifinus in historiâ Tridentini lib. 7. cap. 7. num. 1. & constat ex Bibliothecâ, & historiâ Societatis. Nam P. Salmeron scribens in cap. 5. epist. ad Roman. disp. 52. pag. 640. inquit: *Concilium Tridentinum duas extravagantes Sixti IV. comprobavit, & quatenus opus est, renovavit, in quarum tamen alterâ festum Conceptionis instituitur quotannis solemniter celebrandum, & de thesauro Indulgentiarum celebrantibus gratiæ quamplurimæ dispensari sunt.* Idem docuit Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum 8. Decembris, & hic est communis sensus Doctorum.

SECT,

## S E C T. IV.

*An Tridentinum sententiæ piæ fauerit, eius-  
que veritatem certio rem reddiderit, quàm  
anteà erat?*

96 **L**ibellatores Romani libello 2. num. 2. affir-  
mant, Concilium Tridentinum non fauer e  
potiùs sententiæ benignæ, quàm rigidæ, sed scopum  
eius in confirmandis Constitutionibus Sixti IV. esse, vt  
neutra sententiæ censuræ subdatur, nec aliud intendere  
in illâ limitatione, seu explicatione decreti de peccato  
originali, quam vtranque partem indefinitam relinque-  
re, & contentionum occasionem refecare sub pœnis à  
Sixto IV. taxatis. Caterùm nobis tanquam certum sta-  
tuendum est, Tridentinum magis fuisse sententiæ piæ,  
quàm rigidæ: vt enim ostendimus sect. præced. renova-  
uit vtranque extravagantem Sixti, & consequenter il-  
lam, in quâ solemne festum Conceptionis instituit, & ad  
illius celebrationem invitauit fideles largitione earun-  
dem Indulgentiarum, quas Vrbanus IV. celebrantibus  
festum Corporis Christi à se institutum concesserat.

97 Prætereà, quamvis permitteremus à Concilio  
non fuisse approbatam hanc extravagantem Sixti, sed  
duntaxat posteriorem *Grave nimis*, ex hoc ipso conclu-  
ditur, magis fuisse sententiæ piæ, quàm rigidæ: nam  
certum est Concilium confirmasse prohibitiones conten-  
tas in hac constitutione, & insuper innovasse pœnas im-  
positas à Sixto contra transgressores; at licèt Sixtus in eâ  
constitutione simili censurâ coerceat eos, qui hæreticos  
appellant affirmantes Virginem in peccato originali  
conceptam, ac eos, qui damnant hæresis assertores Im-  
ma-

ma-

maculatæ Conceptionis; magis tamen fauet in his prohibitionibus sententiæ piæ, quam rigidæ: ergo Concilium confirmans has prohibitiones, & censuras Sixti, magis fauet sententiæ piæ, quam rigidæ. Probatum minor ex diversâ ratione, quam in vnâ, & alterâ prohibitionem allegat, vt vnicum motivum prohibendi: Nam idèò condemnat tanquam erroneas propositiones istas: *Qui tenent, Virginem absque peccato originali conceptam, mortaliter peccant, & sunt hæretici. Qui celebrant festum Conceptionis, vel interfunt concionibus, in quibus B. Virgo in suâ Conceptione immaculata prædicatur, alicuius peccati reatum incurruunt, idèò, inquam, has propositiones vt erroneas damnat, & sub pœnâ excommunicationis maioris prohibet, ne in posterum proferantur; quia Ecclesia publicè, & solemniter celebrat festum Conceptionis.*

98 Id patet ex verbis Pontificis in illâ constitutione. *Cum sancta*, inquit, Romana Ecclesia de intemeratâ, semperq; Virginis Mariæ Cõceptione festû soléniter celebret, & speciale, ac propriû super hoc officiû ordinaverit, nonnulli, vt accepimus, diversorum ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diversas Civitates, & terras affirmare hætenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, omnes illos, qui tenent, aut asserunt, eandem gloriosam, & immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati maculâ fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse *hæreticos, &c.* Pergit deinde, & hanc, aliasque eorundem Prædicatorum assertiones iam insinuatæ damnat, *vt falsas, erroneas, & à veritate penitus alienas*, grauissimas subiungens prohibitiones: ergo certum est Sixtum IV. in hac constitutione protexisse sententiam piam de Immaculatâ Virginis Conceptione, satisque aperte indicasse Ecclesiam Romanam in festo Conceptionis colere illud ipsum, quod defendunt assertores sententiæ piæ; alioquin perperam ex festo

festum Romanæ Ecclesiæ argumentum fumeret ad damnandos concionatores, qui hanc sententiam notâ hæresis, vel peccati mortalis inurebant: ergo Concilium confirmans hanc constitutionem favet etiam sententiæ piæ: nam hoc ipso declarat Sixtum IV. rectè condemnasse, vt erroneas assertions illorum Prædicatorum, qui dum hæresis, vel peccati mortalis notabant assertores sententiæ piæ, virtualiter asserere errare Ecclesiam in celebrando festum Conceptionis.

99 Confirmatur: fundamentum vnicum, cui innitur Pontifex ad damnandas vt erroneas propositiones præfatas, est quia Ecclesia Romana celebrat festum Conceptionis, vt patet ex verbis relatis: ergo tota ratio decreti condemnantis illas propositiones fuit festum Conceptionis: ergo tota Sixti decisio fundatur in hoc syllogismo. *Erroneum est asserere, hæresim esse, aut peccatum, tenere quòd Romana Ecclesiâ colit; sed hæc colit Conceptionem Virginis à peccato originali immunem: ergo erroneum est asserere eos, qui tenent sententiam piam hæreticos esse, aut peccare mortaliter.* Certè in hoc syllogismo, nisi minor propositio vera sit, immerito damnasset Sixtus, vt erroneam eiusmodi propositionem, & alias similes eo nixus fundamento, quòd Ecclesia Romana festum Conceptionis celebrat, debuissetque aliam causam decernendi quærere: si enim Ecclesia celebrans festum Conceptionis, non celebraret immunitatem Virginis ab originali, sed aliquid aliud, vnicè ob hoc fundamentum male Pontifex damnasset, vt erroneas eiusmodi propositiones: siquidem tunc optimè componeretur, Ecclesiam celebrare festum Conceptiones, & tamen erroneum esse asserere, quòd concepta fuerit sine maculâ peccati: cum ergo Pontifex tanquam vnicum fundamentum decreti damnantis assertions illorum Prædicatorum, assignet festum Conceptionis celebratum ab Ecclesiâ Romanâ,

pla-

planum est ex verbis, & mente Pontificis, illam celebrare Conceptionem Immaculatam, & ab originali liberam: ergo evidens est, Sixtum IV. in secundâ suâ constitutione, & consequenter Tridentinum, à quo illa confirmata est, protexisse immunitatem Deiparæ à peccato originali, & consequenter sententiam piam, quamvis eam non definierit.

100 Non protexit autem Sixtus, & consequenter nec Tridentinum sententiam rigidam, nec illi positivè fuit, sed solùm eam permisit, dum consulens honori Authorum eius, excommunicationi subijcit eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet sententiam rigidam, hæresis crimen, vel peccatum mortale *incurrere*: nam huius prohibitionis causam hanc unicam reddit: *Cum nondum sit à Romanâ Ecclesiâ, & Apostolicâ Sede decisum*, id est, quia nondum decidit Ecclesia Romana, B. Virginem fuisse sine peccato originali conceptam, quamvis per institutionem festi, & largitionem indulgentiarum hanc partem protegat: si enim hoc decidisset, tunc liberum foret eâ notâ invrere sententiam affirmativam peccati originalis.

101 Idque rursus roboratur: nam Concilium confirmans decisionem Sixti, confirmat decisionis causam, seu rationem, cui unicè innititur decisio: ergo sicut erroneum foret affirmare propositionem à Sixto damnatam, ita erroneum foret decisionis causam negare, seu rationem unicam damnandi propositionem: qui enim negat fundamentum, quo unicè nititur Pontifex ad declarandum aliquam propositionem esse erroneam, negat vim, & valorem decisionis: ergo sicut erraret, qui diceret sententiam affirmativam peccati originalis in Virgine damnatam esse ab Ecclesiâ Romanâ: quia apertè contradiceret Ecclesiæ declaranti, illam sententiam non esse damnatam, ita erraret qui diceret Ecclesiam Romanam

non celebrare Conceptionem Immaculatam: quia aperte contradiceret Pontifici id asserenti, tanquam vnicam rationem, & causam decernendi errare eos, qui dicunt, peccare mortaliter illos, qui tenent sententiam piã.

102 Et quidem verba ipsa Tridentini satis manifestant ipsius specialem favorem erga sententiam piã: nam cum dixit suã intentionis non esse comprehendere B. Virginem in decreto de peccato originali, non addidit, nec esse suã intentionis illam excipere. Itaque expressè à suã intentione excludit *comprehensionem*; non autem *exceptionem*. Profecto si ita declarasset, *non esse suã intentionis comprehendere in illo decreto B. Virginem, aut illam excipere*, ex æquo esset anceps in vtramque partem, & in neutram inclinare videretur; sed cum comprehensionem tantum à sua intentione excludat; non autem exceptionem, manifeste propendet in partem negantem; & quamvis non definiat, satis innuit, si quid definiendum foret, exceptionem, non comprehensionem definiendam. Vnde infertur, sententiam piã probabiliorẽ, & certiorẽ redditam esse à Tridentino, quàm antea erat: quia sicut Concilium eam partem reddit certam de fide, quam definit, ita eam partem alicuius controuersie reddit probabiliorẽ, & certiorẽ, in quam magis inclinat.

103 Idque denique validè confirmatur: quia Tridentinum hac declaratione infregit præcipuum fundamentum, quo nititur sententia rigida, quam sequutus est D. Thomas vnicè ob loquutiones vniuersales Scripturæ, quæ videntur comprehendere omnes filios Adæ viã ordinariã generatos, ob quas 1. 2. q. 81. art. 3. dixit quod *secundum fidem Catholicam firmiter est tenendam, quòd omnes homines, præter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt*. Nam Concilium in eo ipso decreto, in quo his testimonijs probat omnes parvulos

los

los peccatum originale contrahere, affirmat, illa non debere comprehendere B. Virginem: quia intelligi debent, vel de peccato originali in radice, id est, de debito contracto vi generationis incurrendi originale, vel debent intelligi attentâ lege communi, & secluso speciali priuilegio, quod nulli puro homini, præter B. Virginem, probari potest fuisse concessum: Nam si loquutiones illæ, & testimonia Scripturæ intelligi debent de peccato originali in se ipso; & non de debito, & aliunde nulli privilegio, & exceptioni locum relinquerent, esset de fide Catholicâ B. Virginem contraxisse peccatum originale. Quod, licet tempore D. Thomæ potuerit cum probabilitate affirmari; nunc sine errore defendi non potest, cum Ecclesia damnauerit tanquam erroneam propositionem affirmantem, eos, qui tenent sententiam *piam heresis criminâ, vel peccatum mortale incurvere*, & cum eadem Ecclesia celebret festum Conceptionis, quod tempore D. Thomæ non celebrabat. Idque facere non possêt, si certum foret, illam fuisse conceptam in peccato. Quare fundamentum ab Scripturâ petitum ad probandum sententiam rigidam, iam per Tridentinum enervatum est, ac proinde sententia pia ab ipso reddita est probabiliter, & certior quàm antea erat.

SECT. V.

*An ex Actis, & Historiâ Tridentini probetur,  
Patres illius Concilij propensos fuisse ad  
definiendam Immaculatam Beatæ  
Virginis Conceptionem?*

104 **Q**UÆ dicta sunt sect. præced. robur accipiunt ex his, quæ narrat Cardinalis Palavissinus

nus in Historiâ Concilij Tridentini lib. 7. nam ibi cap. 3. num. 8. refert, Cardinalem Pachecum Episcopum Gienensem proposuisse in cœtu Patrum, vbi de peccato originali doctrina stabilienda esset, videri sibi ducendum initium à decisione celebris controversiæ de Virginis conceptu. Huic autem placito fortiter se opposuisse Petrum Bertanum Ordinis Sancti Dominici Episcopum Phanésensem, pro oppositoque subiecisse, vtrimque quæstionis huiuscæ sententiæ viros Sanctissimos, doctissimosque patrocinari: Ecclesiam eo vsque professam, rei veritatem nondum sibi innotuisse, neque locum, nec tempus postulare, vt curam, diesque consumerent in eo, quod fidei commodo haud conducebat: satius esse silentio controversiam absolvi, quo parum vtilis, exemploque fidelium minus accommodatas altercationes sedarentur. Additque Palavifinus, cum Bertano plerosque Hispanos consensisse.

105 Videns ergo Pachecus Episcopus, & Theologos Dominicanos, tum rationibus à Bertano propositis, tum precibus, ne notâ inureretur ordo Sancti Dominici, qui cum D. Thoma communiter tenebat, B. Virginem contraxisse maculam originalem, obtinuisse, ne à Concilio definiretur hæc controversia, nihilominus totis viribus contendit, vt decreto de peccato originali adijceretur clausula aliqua sententiam piam extollens. *Leeto igitur* (inquit Palavifinus eo cap. 7. n. 2.) *in generali Congregatione* decreto de originali culpâ, prout digestum fuerat in privatis cœtibus, Pachecus arbitratus tantæ rei decisionem brevis temporis angustijs restringi non posse, petijt, vt vniversali positioni, quâ communis cunctis hominibus noxa declarabatur, hæc verba adijcerentur: *De B. Virgine Sancta Synodus nihil definire intendit, quamvis pie credatur ipsam absque peccato originali conceptam fuisse.* In illius sententiam plerumque itum.

106 At Episcopi, alijque Dominicani, qui aderant, acriter intercessere, quos nonnulli sequuti. Opponebant illi, vbi altera opinio pia declararetur; alteram impiam declaratum iri, quod perinde foret, ac tacitè quæstionem decidi. Idcirco suatum fuit, vt ea verba excogitarentur, quæ neutri opinioni officerent; sed vtraque in eo statu persisteret, quem tunc apud Ecclesiam obtinebat. Hinc in Theologorum congressibus huiusmodi tenore decretum effectum. *Declarat Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Matrem Iesu Christi, de quâ re nihil in præsentî intendit decernere, sed observandas esse constitutiones foelicis recordationis Sixti Papæ IV.*

107 His tamen non acquieuit Pachecus. Causabatur ille in coetu superiori supra duas tertias partes in ea verba consensisse: *Quam pie creditur absque peccato originali fuisse conceptam*: hanc sententiæ pietatem negari non posse, quando non solum cuncti regularium ordines, vno excepto, cunctæque Academiæ huic opinioni adhaerebant ceu magis piæ, sed ipsa Ecclesia solemnî ritu conceptæ Virginis diem celebraret. Legati diversa opinabantur, Montanus quidem Immaculatum Virginis conceptum probabat, Cervinum Masardus refert contrarium sensisse, de Polo nihil mihi compertum est. Veruntamen id inter eos conveniebat, haud committendum, vt dissidij fomes inter partes Catholicas inardesceret, neque vt adhiberentur voces, quibus quidquam earum cuilibet detraheretur. Respondit proinde Cervinus; si quid in coetu præterito eâ de re Patres pronuntiauerant, id neque Legatis rogantibus peractum, nec legitimo ad decernendum ritu: in anteacto conventu statutum fuisse, vt nihil in illâ controversiâ decideretur, & pars vtraque illibata persisteret. Si cui partium forma proposita  
quid-

quidquam officeret, eam posse mutari; sin minus, par non esse aliam formam induci, per quam, obliquâ veluti viâ extorqueretur id quod Synodus rectâ inconcussam volebat. Tunc proposuit Asturiensis, vt ea particula deleteretur, quâ dicebatur, *nihil in presentiâ Synodus intendit decernere.* Quod, quantum arbitror, eò respiciebat, vt saltem declararetur in vniversali affirmatione contracti à cunctis hominibus originalis peccati haud B. Virginem comprehendi, adeoque per deductam inde argumentationem, nihilominus probabilem reddi eius immunitatem. Hoc dictum Berranus, alijque Dominicanani cum plausu excepere, vt accidit graviora periclitantibus; at Pacheco, eique addictis molestum accidit. Itaque ex integro repetita suffragia, & conventus vltimam productus, eò demum res devenit, vt quamvis plerique conceptam sine labe Virginem existimarent; plerique tamen satius duxerint nihil oppositæ sententiæ detrahendum esse. Quare decreti verba ex Asturiensis dictis comprobata sunt, ægerrimè ferente Pacheco.

108 Narratis à Palavifino adiungo testimonium aliud viri Religiosi, qui Acta originalia Concilij Tridentini oculis suis lustravit. Is est Pater Nicolaus Lancicius nostræ Societatis, qui tom. 2. opuscul. spiritualium opusc. 11. de praxi Divinæ præsentis cap. 13. pag. 49. sic scribit. *Legi, & descripsi ann. 1599. ex Actis originalibus Concilij Tridentini, quæ asservantur in Castro Sancti Angeli Romano, & cum expressâ licentiâ Clementis VIII. Summi Pontificis fuerunt Reverendo Patri Petro de Arrubal professori Theologiæ in Colegio Romano, & mihi eius socio ad aliquas horas exhibita à Cardinali Cæssio, ex aliquot decadibus Episcoporum deputatorum ad tractandum de hoc puncto Conceptionis B. Virginis Mariæ omnes asseruisse ipsam esse conceptam sine pecca-*

pe cato originali ; sed ob instantissimas preces aliquot Episcoporum, & Theologorum Sancti Dominici, qui illi Concilio aderant, rogantium ne hac vice propter notam, quæ inureretur Ordini Sancti Dominici hoc decreto, illud ederent, sed superfederent, & ad aliud tempus illud rejicerent. Concilium superfedit, & decretum illud non vulgavit hanc solam ob causam. Ita habetur in illis Actis Concilij, quæ diligentissimè legi, & hac tunc excepi. Hæc P. Lancicius, de cuius veritate dubitari non potest : nam Bibliotheca Scriptorum Societatis sic de illo scribit. *Vir fuit sapientiâ, & virtute clarissimus, quin & Deo singularibus affectum fuisse donis, & gratijs in curationibus morborum, prædictionibus eventuum, visionibus rerum cœlestium, notitiâ secretum cordis, affirmant, qui illi convixerunt.*

109 Idem affirmat Doctor D. Hyeronimus Orma-  
chea in Cantica Prologomeno 3. verbo *Concilium Tridentinum* vbi sic loquitur: *Memini, me Romæ legisse totam sessionem Sancti Concilij Tridentini de peccato originali ; provt omnes illius Patres sua ferebant suffragia formalibus verbis. Et illud fuit mihi valdè mirabile, quod paucissimi Episcopi, aut fere nullus, contra Immaculatæ Conceptionis piam sententiam suum calculum expresserit, qui non esset ex Sacratissimâ à Divi Dominici Familiâ, ita vt Secretarius Concilij hanc referens circumstantiam, semper subscriberet ; & hic Episcopus erat Dominicanus.*

110 Ambrosius Catherinus in præfatione disputationis pro Immaculatâ Conceptione ad Concilium Tridentinum hisce verbis vtitur : Cum ab hinc fere sex-  
sennum istic Tridenti ageret sacra Synodus, ad id  
potissimum congregata, vt hæreses, & zizania, quæ in  
agro Domini irrepserant, tollerentur, & eò iam per-  
ventum esset, vt de originali peccato tractaretur, ple-  
rique ex Patribus admonebant, optimum esse, atque  
oppor-

„ opportunum speciali decreto eam sententiam de Im-  
 „ maculatâ Virginis Conceptione, quæ dudum à cun-  
 „ ctis prorsus Ecclesijs solemniter celebratur, & colitur,  
 „ ita probari, & statui, vt iam vltius non liceret  
 „ cuiquam eâdere secus, vel asserere, vel opinari. Id quibusdam,  
 „ licet admodum paucis, tunc non placuit, nec  
 „ (vt verum fatear) mihi quidem ipsi: non quòd rem ipsam  
 „ non vehementer optarem, vtpotè Sanctam, &  
 „ Christianæ fraternitati congruentem, quæ in primis  
 „ eundem in dogmatibus sensum, eandemque in cultu  
 „ Dei observantiam parit; sed quod consultius per conditionem  
 „ temporum videbatur prius aduersus hæreses manifestas  
 „ intendere, tunc illa aggredi, quæ inter Catholicos  
 „ controversa, digna viderentur decisione. Nec defuerunt,  
 „ qui hunc tractatum in eum locum seruari volebant,  
 „ cum de celebratione festorum ageretur: quâ in re nonnulli  
 „ vigent abusus (inter quos hic numerari debet;) merito  
 „ abolendi,

## SECT. VI.

*An obiectum festi Conceptionis semper in Ecclesia  
 Romanâ fuerit Conceptio naturalis Virginis  
 ratione gratiæ in primo instanti animationis?*

III **I**D est, an à temporibus Sixti IV. quando Ecclesia  
 Romana festum hoc instituit, & Missali, atque Breuiario  
 Romano inseruit, semper intenderit celebrare Conceptionem  
 Immaculatam per infusionem gratiæ in primo instanti  
 animationis? Et quidem Calderon cap. 4. num. 6. Sanè, inquit,  
 Ecclesiam Romanam celebrare Conceptionem Virginis, non  
 quomodolibet accep-

ceptam; sed Immaculatam, luce meridiana *clarius est*. Idque late ostendit cap. 8. & 9. Id ipsum copiosè probat Venerabilis noster Eusebius in tractatu de perpetuo obiecto festi Conceptionis, & Armamentarium Seraphicum innumeros referens Authores, qui hoc ipsum ostendunt.

112 Probatur autem primò: quia Sixtus IV. in extravagante *Cum præexcelsa*, dicit se festum solemne Conceptionis instituisse, ut fideles *de Immaculate Virginis miræ Conceptione gratias, & laudes referant Deo*. Quid autem aliud nomine *miræ Conceptionis* intelligit, nisi Conceptionem in gratia? Conceptionem namque maculatam *miram* non appellaret. Secundò: quia Sixtus approbavit officium Conceptionis à Leonardo de Nogueroles compositum, & ad ipsum recitandum largitione Indulgentiarum invitavit omnes Ecclesiasticos; in eodem officio expressè dicitur B. Virginem præservatam fuisse ab originali, & eius Conceptio appellatur *Immaculata*, quod manifestum indicium est, ipsum adhortatum esse univèrsam Ecclesiam ad celebrandam Virginis Conceptionem, *ut Sanctam, & Immaculatam*, & in hoc sensu hoc festum fuisse admissum.

113 Nec mens Ecclesiæ alia fuit post Pium V. qui ann. 1568. Breuiarium Romanum reformans, officium Nogueroles expulsi, & loco illius introduxit officium Nativitatis, mutato hoc nomine in nomen Conceptionis. Etsi enim officium iustis de causis mutaverit, quas citati Authores expendunt; non tamen illius officij auctoritatem minuit, aut sensum huius festivitatis mutavit: qua propter, sicut per hoc officium non celebratur Nativitas utcumque, sed Nativitas Sancta, & in gratia, ita non celebratur Conceptio, nisi ut Sancta, & Immaculata, & idè in octavo Responsorio huius festi Conceptio Virginis *sancta* appellatur.

114 Tertiò : quia Sixtus animadvertens , in dies crescere fidelium devotionem , & Immaculatam Virginis Conceptionem , & piam opinionem quotidie maiores vires sumere etiam apud sapientes ; & nihilominus contentiosè impeti ab assertoribus sententiæ rigidæ , & magnos inde tumultus , graviæque scandala excitari : ann. 1575. doctissimis ex quovis Regularium ordinū , & Clericis sæcularibus Romam accitis , celeberrimam disputationem indixit , quam per plures dies protractam sæpè ipse sua Pontificali præsentia , & autoritate cohonestavit. Exitus disputationis fuit , quod Pontifex recognoscens , multo vrgentiora , & solidiora esse pro piâ sententiâ fundamenta , anno sequenti solemne festum Conceptionis instituit , abs dubio in favorem illius sententiæ : ergo Ecclesia Romana à tempore Sixti IV. id in festo Conceptionis celebrat , quod pia sententia tenet , nempe gratiam pro primo instanti animationis.

115 Quartò , quod Ecclesia celebret id ipsum quod tenet sententia pia , inde suadetur , quod Sixtus IV. in extravagante *Grave nimis* damnat , ut erroneas assertiones supra positas sect. 4. §. ultimo , & rationem huius damnationis desumit ex eo , quod Ecclesia de intemeratâ , semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebret , &c. ut vidimus sect. 3. Ergo sentit , & declarat Pontifex , Ecclesiam Romanam in festo Conceptionis colere id ipsum , quod defendunt , qui tenent sententiam piam ; alioquin perperam Pontifex ex festo celebrato à Romana Ecclesia argumentum sumeret ad damnandos Concionatores illos. Denique id constat ex alia extravagante *Grave nimis* citata sect. 3. in qua Sixtus damnans propositionem eorum , qui affirmabant , Ecclesiam in hoc festo solum celebrare Conceptionem spirituales , id est , sanctificationem , hoc ipso declaravit , obiectum huius festi esse ipsam Conceptionem naturalem ;

lem; hæc autem nequit esse obiectum huius festi, si fuit immunda, prout constabit ex dicendis; qua propter, vt possit hoc habere; opus est, vt Conceptio spiritualis, seu Sanctificatio B. Virginis, facta fuerit in eodem momento, in quo ipsius persona per infusionem animæ in corpus concepta est.

SECT. VII.

*An dici possit, ab Ecclesia Romana octavo Decembris non celebrari ipsam Conceptionem naturalem, sed duntaxat Sanctificationem?*

*Vbi quænam Conceptio naturalis sit obiectum huius festi?*

116 **Q**UIA argumentum petitum à festo Conceptionis est potissimum, quo nititur certitudo sententiæ piæ, variè illud eludere conati sunt sententiæ rigidæ Authores, quorum proinde evasiones seorsum reiiciendæ sunt. Primò igitur aliqui respondent, Ecclesiam, cum festum Conceptionis celebrat, non colere ipsam Conceptionem naturalem; sed duntaxat Sanctificationem in utero, quæ, quia ignoratur quo die contigerit, refertur ad diem ipsum Conceptionis, & ideò festum ex die, in quo celebratur, nomen sumpsisse, & Conceptionis dici, quamvis non Conceptio, sed sanctificatio colatur.

117 Ita sumunt ex D. Thoma 3. p. q. 27. art. 2. in quo inquit, An B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem? & quæstionem negativè resolvit; proponit enim in contrarium tertium argumentum sic: *Non celebratur festum, nisi de aliquo Sancto; sed quidam celebrant fe-*

stum Conceptionis B. Virginis: ergo videtur, quòd in ipsa sua Conceptione fuerit Sancta, & ita quòd ante animationem fuerit sanctificata. Cui argumento respondet sic: Dicendum, quòd licet Romana Ecclesia festum Conceptionis non celebrat; tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium: undè talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc, quòd festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in se à Conceptione fuerit sancta: sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quàm Conceptionis in die Conceptionis ipsius. Eandem solutionem adhibent Ægidius Romanus D. Thomæ auditor, & eius doctrinæ acerrimus defensor quodlib. 6. q. 20. atque Durandus in 3. dist. 3. q. 1. num. 14.

118 Verum licet S. Thomas, & alij antiqui, qui ante Sixtum IV. scripserunt hanc explicationem festi Conceptionis satis pie, & laudabiliter adhibuerint; tamen modo sustineri non potest postquam Ecclesia Romana festum solemne Conceptionis celebrat, & aperte significat, se in hoc festo celebrare Conceptionem formalem, & perfectam Beatæ Virginis in instanti animationis vt sanctam. Quare diversa est causa eorum, qui ante Sixtum, & qui post Sixtum scripserunt: nam priorum laudandum est studium in eiusmodi explicatione festi, quod à privatis Ecclesijs in Galliâ, Angliâ, Britaniâ, Daciâ, Normandiâ, atque Germaniâ celebrabatur: hoc enim præstabant, ne Ecclesias alioqui venerabiles aperte damnant, quòd in re tam gravi præoccupassent iudicium, & auctoritatem Sedis Apostolicæ. Vt enim observat eruditissimus Petrus de Alva in Sole veritatis, iste fuit conatus omnium antiquorum Theologorum, persuadere populis, atque imperitis, quòd Ecclesia 8. Decembris non celebrat Conceptionem carnalem illo die factam; sed aliam spiritualem, quando gratia fuit infusa Virgini, vel  
in

in ipsa animatione, *vel post*. Cum enim ex epistola Divi Bernardi adversus Canonicos Lugdunenses didicissent, Conceptionem carnalem Virginis, quæ facta est via ordinaria, & cum vitio naturæ ( licet non cum vitio personali Sanctorum coniugum Ioachini, & Anæ ) nempe cum fomite, & inordinatione concupiscentiæ, non posse, vt sanctam celebrari; & aliunde nomine Conceptionis solum Conceptionem carnalem foetus intelligerent, Conceptionem distinguentes ab animatione, ideò conati sunt benignè interpretari mentem Ecclesiarum, quæ 8. Decembris celebrabant festum Conceptionis, asserentes, Ecclesias illas illâ die non colere Conceptionem Virginis; sed duntaxat eius sanctificationem.

119 At Doctores, qui scripserunt post Sixtum IV. & viderunt ab Ecclesia Romana solemniter coli ipsam Virginis Conceptionem, non quidem inchoatam, & imperfectam, quæ fuit quando in matrice incipit formari foetus; sed completam, & perfectam ipsius personæ, quæ fit, quando anima infunditur corpori, illudque animare incipit, hi, inquam, Doctores exexcusandi non sunt, si huic interpretationi adhuc inhæreant, & dicant, Ecclesiam 8. Decembris solum colere Conceptionem spiritualem Virginis, seu sanctificationem per infusionem gratiæ; non autem Conceptionem ipsam naturalem personæ per infusionem animæ in corpus: illa namque propositio damnata est à Sixto IV. in priori extravagante *Grave nimis* existente extra corpus iuris, vt vidimus sect. 3. & per ipsius festi institutionem clarè reprobata est. Quare licet motivum celebrandi Conceptionem Virginis ex mente Ecclesiæ sit Conceptio spiritualis, seu sanctificatio, quæ in primo instanti animationis facta est; subiectum tamen, quod colitur, & celebratur est ipsa Conceptio naturalis personæ Virginis.

120 Vndè quamvis mens Ecclesiæ in hoc festo non fue-

fuerit celebrare Conceptionem materialem B. Virginis, quæ est terminus generationis carnalis, & præcedit animationem foetus; tamen eius mens semper fuit celebrare Conceptionem corporalem, & naturalem personæ Virginis, quando anima infunditur corpori, & illud animare incipit: hæc enim est perfecta, & completa Conceptio, de qua procedit hæc quæstio, An B. Virgo concepta fuerit in peccato, necne? Fallitur enim, vel fallere vult Libellator Romanus, dum libello 1. num. 1. ait: *Nomen Conceptio solum importare formationem foetus in utero.* Quamvis enim propriè hoc significet, & ita accipiat sæpè in Scriptura, vt 2. Reg. 11. vbi de Bersabee dicitur: *Reversa est in domum suam concepto foetu.* Genesis 16. vbi de Agar dicitur: *At illa concepisse se videns, despexit dominam suam.* Imò quamvis D. Thomas loco nuper citato ex 3. p. supponat Conceptionem sumi pro formatione foetus ante animationem, idemque supponat q. 33. art. 2. & 1. & quamvis in hoc sensu antiqui Scholastici, qui ante Scotum floruerunt nomen Conceptionis accipiant, vt patet ex Alexandro de Ales, qui 3. p. Summæ q. 9. membro 2. art. 3. inquit *An post Conceptionem ante animæ infusionem B. Virgo fuerit sanctificata?* Imò quamvis D. Bernardus epist. 174. ad Lugdunenses, in qua probat Conceptionem B. Virginis non fuisse sanctam, manifestè loquatur de Conceptione materiali sumpta pro prima formatione foetus, vt aperte demonstrat Illustrissimus Angelus Manrique tom. 1. Annal. Cisterciens. ad ann. 1134. & Venerabilis noster Eusebius in libro conceptionum cap. 18. Quamvis (inquam) nomen *Conceptio* propriè sumptum sæpè accipiat pro prima formatione foetus, quæ est Conceptio quædam inchoata, & imperfecta; negari non potest Conceptionem perfectam, & substantialem hominis consistere in animatione, quando nimirum anima rationalis creatur, & infunditur corpori iam organizato.

121 Exploratumque est Theologos post Scotum in hac controversia nomine Conceptionis intelligere primum instans animationis, vt supponit Vazquez 3. p. disp. 117. in ipso titulo. Quæstio enim, An B. Virgo concepta fuerit in gratia, vel in peccato originali? de Conceptione, vt est animatio, procedit. Vt enim inquit S. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. ad 4. *Peccatum originale trahitur ex origine in quantum per eam communicatur humana natura, quam propriè respicit peccatum originale, quod quidem fit, quando proles concepta animatur.* Vndè cum disputatur nunc, An B. Virgo concepta fuerit in peccato, vel in gratia? manifestum est non esse sermonem de foetu ante animationem: quia ille propriè nec gratiæ sanctificantis, neque peccati capax erat, neque B. Virgo tunc existerat; sed esse sermonem de Virgine ipsâ in primo instanti animationis, vt rectè arguit Caietanus opusc. de Conceptione cap. 4. vbi propterea dicit, *constare quòd sermo semper est de Conceptione in infusione anime; fallitur tamen dum dicit ita intelligendos esse omnes antiquos; constat enim manifestè, D. Bernardum, Alensem, & communiter Scholasticos, qui Scotum præcesserunt, dum asserunt Conceptionem B. Virginis, loquutos esse de Conceptione carnali foetus: vt enim inquit Bernardus epistola illa: An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi Conceptioni immiscuit, vt simul sanctificata fuerit, & concepta? Quomodo potuit peccatum deesse, vbi libido non defuit? Nisi forè, quis dicat de Spiritu Sancto eam, & non de viro conceptam esse. Sed id hætenus inauditum.*

122 Hinc Theologi omnes antiqui inquirunt, An B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem? vt Alensis loco nuper citato, Albertus Magnus in 3. dist. 3. art. 4. D. Bonaventura in 3. dist. 3. art. 1. q. 1. & D. Thomas ibidem q. 1. art. 1. & 3. p. q. 27. art. 2. & quia constanter resolverunt, ante animationem sanctificari non po-

potuisse, & Conceptionem existimabant præcedere animationem, & duntaxat sumi pro prima formatione fœtus in matrice, ideò asserabant, Conceptionem Virginis non fuisse sanctam: quia nimirum facta est cum aliqua in ordinatione concupiscentiæ, quæ necessario immiscetur generationi in statu naturæ lapsæ, & cum debito, atque necessitate peccati postea contrahendi, & in hoc sensu verum est B. Virginem conceptam esse in peccato, ut explicat cum Anselmo Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 16. vers. *Deinde.*

123 Vbi diligenter observandum est, impugnatores Immaculatæ Conceptionis inter se confundisse Conceptionem materialem, inchoatam, & imperfectam Virginis cum Conceptione completâ, & perfectâ quando anima infunditur corpori, & quæ antiqui dixerunt de prima, immeritò transtulisse ad secundam, cum tamen sint diversissima: nam de prima fatentur assertores sententiæ piæ fuisse maculatam, & in peccato in sensu explicato à Bellarmino: quia ex vi Conceptionis materialis per mixtionem maris, & foeminae B. Virgo contractura erat in instanti animationis maculam peccati originalis, nisi propter merita Christi tunc ornata fuisset gratiâ sanctificante, & in hoc sensu solus Christus in suâ Conceptione fuit Sanctus: quia cum conceptus fuerit de Spiritu Sancto, ex vi suæ Conceptionis omninò miraculosæ immunis fuit à peccato; at B. Virgo ex vi suæ Conceptionis Sancta non fuit, sed potius peccato obnoxia, & subiecta. Caterum secunda Conceptio purissima fuit iuxta piam, & veram sententiam: quia intus anima coniuncta est cum gratia sanctificante. Constat ergo, ab Ecclesia 8. Decembris neque celet rari solam Sanctificationem Virginis in utero matris, neque Conceptionem materialem fœtus; sed Conceptionem formalem personæ, idque ratione sanctitatis, quæ in primo instan-

stanti animationis illi communicata est.

124 Ex dictis rejicitur responsio Bartholomæi de Medina, q. 3. p. q. 27. art. 2. pag. 593. vbi dicit, quod *ut nullus sit error, nec speculativus, nec practicus in celebrando Conceptionis festo, securissimus modus est, celebrare illud punctum, in quo sanctificata est B. Virgo, & plenitudine gratiæ decorata, abstrahendo, an sit concepta cum peccato originali, necne. Et reddit rationem. Nam, quod fuerit sanctificata, & plena gratiæ in vtero certissimum est; quod autem fuerit præservata, necne adhuc sub lite est.* Rejicitur, inquam, quia iuxta hanc solutionem, Ecclesia non celebrat Conceptionem naturalem Virginis; sed solam eius sanctificationem, quæ est propositio damnata à Sixto IV. Prætereà, cum Gregorius XV. ann. 1622. præceperit, vt omnes celebrent hoc festum sub titulo Conceptionis, manifestum est, obiectum celebratum esse ipsam Conceptionem naturalem Virginis. Demum: quia cum die Nativitatis Virginis Mariæ Ecclesia celebret Nativitatem eius in gratiâ, hoc ipso celebrat eius sanctificationem in vtero: ergo, dum novum festum Conceptionis instituit, aliquid aliud intendit celebrare quam sanctificationem Virginis in vtero: ergo intendit celebrare Conceptionem naturalem ratione sanctificationis in primo instanti animationis.

S E C T. VIII.

*An Ecclesia 8. Decembris celebret Conceptionem formalem Virginis, non quia fuerit sancta, sed relative ad sanctitatem mox futuram?*

125 Vincentius Bandellus, qui ann. 1502. creatus

L

est

est Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, in disputatione solemnī de Conceptione, in qua vehementer invehitur in sententiam piā, pressus argumento, quod ex festo Conceptionis desumitur; nec satis fidens effugio illi de Conceptione spiritali, aliud quæsit, & respondet, celebrari quidem ab Ecclesia Conceptionem ipsam naturalem Virginis, non quia fuit sancta; sed relativè ad sanctitatem modo futuram, ad quam solutionem recurrit etiam Caietanus in opusculo de Conceptione cap. 5. At P. Vazquez 3. p. disp. 17. num. 66. meritò miratur valdè, quod post tempora Sixti IV. ad hanc solutionem recurrant, quam ante ipsum cum aliqua probabilitate excogitaverant Joannes de Neapoli, Capreolus, Paludanus, & S. Antoninus post Ægidium Romanum quodlibeto. 6. quæst. 20. & causam suæ admirationis reddidit Vazquez, cum in Officio Conceptionis à Sixto approbato ipsa Conceptio *Immaculata*, & *Sancta* sapius dicatur, & ab ipso Sixto *mira* appelletur, nimirum propter sanctificationem ipsi Virgini in eodem momento concessam.

126 Impugnatur præterè hoc effugium: quia licèt motivum, & ratio celebrandi naturalem Conceptionem Virginis sit sanctitas; quia Ecclesia cultu Ecclesiastico non colit, nisi rem sanctam, vt docet S. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. in argumento *sed contra*: motivum hoc nequit esse sanctitas futura post Conceptionem; sed debet esse sanctitas ipsi Conceptioni coexistens, vt enim inquit S. Bonaventura in 3. dist. 3. quæst. 1. ad 4. *Statuta vniuersalis Ecclesiæ de sanctorum celebratibus omnia fundata sunt super sanctitate, vt nullo die pro aliquo sancto solemnizet, in quo, vel pro quo persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur. Et ratio est: quia sanctitas, quæ est motivum celebrandi Conceptionem, debet esse sanctitas, quæ sanctam reddat Conceptionem, & dignam cultu;*

san-

sanctitas autem postea adveniens, licet sanctam postea reddat personam Virginis, nequit facere, ut sancta fuerit Conceptio, quæ iam præterijt quando ipsa advenit. Neque enim sancta fuit Conceptio, ex eo quod postea sanctificetur persona concepta. Confirmatur: quia subiectum, quod colitur in festo Conceptionis est Conceptio naturalis Virginis: unde si illa Conceptio fuit in peccato originali, non est capax cultus, ut potè immunda.

S E C T. IX.

*An Ecclesia celebret Conceptionem Virginis, non quia fuit sancta, sed in gratiarum actionem, & quia fuit initium nostræ salutis?*

**H**ÆC est alia evasio, ad quam etiam recurrit Bandellus, quam desumpsit ex Ægidio Romano quod lib. 6. q. 20. & ex Joanne de Neapoli, Paludano, Capreolo, & S. Antonino citatis à Vazquez disp. 117. num. 63. Et hanc sequutus est Silicius 3. p. quest. 27. art. 2. qui hanc solutionem probat ex Officio Ecclesiastico, in quo canitur: *Conceptio tua Deigenitrix Virgo, gaudium annuntiauit uni verso mundo: ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster, &c.* Quibus verbis satis insinuat Ecclesia causam, cur celebrat Conceptionem, nimirum, quia Virgo futura erat Mater Dei, atque adeò eius Conceptio fuit bonum nuntium nostræ salutis, quod verum est, etiamsi fuerit in peccato originali peracta.

1128 Et videtur Bellarminus hanc responsionem probasse: nam lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 16. proponit secundum argumentum, quo hæretici impugnant festa Sanctorum, ex eo quod aliqua falsò fundamento

nitantur, vt Conceptionis B. Mariae festum, quod Bernardus nominatim Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses, vbi dicit errorem, & superstitionem sapere hoc festum, quia in eo, vel peccatum honoratur, sine quo Conceptio ista non fuit, vel falsa inducitur sanctitas. Et praeterea apud nos etiam non est certum, an Beata Virgo sine peccato originali concepta fuerit: Ecclesia enim vtramque opinionem permittit: ergo saltem dubium est, an recte hoc festum celebremus. Huic haereticorum argumento dupliciter respondet Bellarminus, primo: in maiori parte Ecclesiae pie credi B. Virginem sine peccato originali conceptam, quod etiam ex adversarijs factentur Lutherus, & Erasmus. Secundo respondet, *fundamentum* huius festi praecipuum non esse Conceptionem Immaculatam; sed simpliciter Conceptionis Matris Dei futurae: qualiscunque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso quod Conceptio fuerit Matris Dei, singulare gaudium affert mundo eius memoria: tunc enim primum habuimus pignus certum Redemptionis, praesertim, cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit. Itaque hoc festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato *conceptam*. Haec Bellarminus, de cuius mente late differit P. Eusebius in tractatu de perpetuo obiecto festi Conceptionis cap. 31. vbi pag. 277. probat, hanc secundam solutionem adhibuisse Bellarminum non ex propria sententia; sed ex aliena, eius scilicet partis, quae inter Catholicos opinionem affirmativam sequitur, idque praestitisse, vt abundantius responderet haereticis, non solum eorum argumentum dissolvens secundum sententiam negativam; sed etiam secundum affirmativam, quod non est novum, his maximè, qui cum haereticis disputant, vt abundantius retundant argumenta adversaria: sicut enim in disputationibus solent dari aliquae propositiones, quibus non assentitur ipse qui dat:

fic

sic Bellarminum dedisse aliquas, quæ ipse non probavit, ut maiori satisfaceret copia.

129 Et quidem quod Bellarminus non sit loquutus ex propria sententia, suadetur primò: quia ibidem §. Quod si ipse, ait, quod sicut Bernardus Epist. 174. ad Lugdunenses asserit, ex eo quod Ecclesia tunc celebraret Virginis ortum, se nihil dubitare, quin ille ortus sanctus fuerit, ita & nos (inquit) ex eo quod Ecclesia celebret festum Conceptionis, nihil dubitamus, Conceptionem illam aliquomodo fuisse sanctam. Secundò, quia ibidem §. Respondeo dicit. Quia maior Ecclesie pars piè credit Immaculatam Conceptionem, inde habuisse eandem Ecclesiam occasionem instituendi hoc festum. Tertio, quia lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 15. §. Deinde dicit, quod totus ferè Orbis Christianus celebrat festum diem Conceptionis Virginis Mariæ, eamque Conceptionem Immaculatam vocat.

130 Sed quidquid sit de Bellarmini mente, falsum omninò est, fundamentum huius festi præcipuum non esse Conceptionem Immaculatam; sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futurae: etsi enim potuerit Ecclesia instituere festum ad agendas Deo gratias de Conceptione illius Virginis, quæ futura erat Mater Dei, præsertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit, sicut Græci die 23. Septembris in suo Calendario ponunt festum Conceptionis S. Joannis Baptistæ; tamen de facto festum non sic instituit: siquidem constat ex dictis sect. 6. hoc festum institutum esse à Sixto in favorem sententiæ piæ, & finem, & scopum illius non esse celebrare Conceptionem naturalem Virginis utcumque; sed Conceptionem ut sanctam. Secundò, quia ut ostendimus sect. 7. constans est in hoc festo, non celebrari Conceptionem materialem inchoatam; sed Conceptionem formalem, & perfectam Virginisque animationem; si autem præcipuum fundamentum esset Con-  
cep-

ceptio Matris Dei futura, celebraretur Conceptio illa materialis, quatenus fuit miraculosa ex parentibus sterilibus, & quatenus fuit initium, & pignus Redemptionis: quia corpus illud formatum est, ut ex illo constaret illa, quæ futura erat Mater Christi. Tertio: quia eodem modo celebratur ab Ecclesiâ festum de Conceptione, ac festum de Nativitate Virginis; at hoc secundum non celebratur, quia nata est Virgo, quæ futura erat Mater Christi; sed quia Nativitas illa fuit sancta: ergo nec Conceptio, &c. Quarto: quia idem Ecclesia Latina festum illud Conceptionis Sancti Joannis Baptistæ non admittit: quia conceptus fuit in peccato, & non solet Ecclesia celebrare festum, nisi fuerit sanctum subiectum festi pro eo tempore, pro quo celebratur: ut enim inquit S. Bonaventura in 3. dist. 3. art. 1. ad 4. *Statuta universalis Ecclesie de Sanctorum celebritatibus omnia fundata sunt super sanctitate, ut multo die pro aliquo sancto solemnizet, in quo, vel pro quo persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur.* Hinc probat S. Thomas 3. p. quæst. 27. art. 1. in argumento *sed contra*, Nativitatem Virginis fuisse sanctam: quia celebratur ab Ecclesiâ. *Ecclesia (inquit) celebrat Nativitatem Virginis; non celebratur autem festum in Ecclesiâ, nisi pro aliquo sancto: ergo B. Virgo in sua Nativitate fuit sancta.* Similiter S. Ildephonus tom. 7. Bibliothecæ Patrum editionis Colonienfis anni 1618. pag. 449. colum. 1. idem argumentum conficit his verbis: *Beata Virgo, nisi in utero matris sanctificata esset, minime eius Nativitas colenda esset: nunc autem quia ex autoritate totius Ecclesie veneratur, constat, eam ab omni originali peccato immunem fuisse.* Quem locum accuratè expendit Salazar cap. 21. à num. 12. & cap. 36. à num. 1. Pariter Bernardus Epistola illâ ad Lugdunenses ex festo Nativitatis colligit necessariò sanctificationem Virginis in utero. *Quia ortum Virginis didici in Ecclesiâ indubitanter haberi festivum, firmis.*

*missimè cum Ecclesia sentio in utero, accepisse ut sancta prodiret. Hinc quia ipse existimavit à Canonicis Lugdunensibus celebrari Conceptionem carnalem, & materialem Virginis, quæ sancta non fuit, eos acriter reprehendit: quia instituerant hoc festum, quod profectò non fecisset, si existimaret, ipsos colere Conceptionem Virginis, quasi in gratiarum actionem.*

131 Omnes isti Patres doctrinam hanc hauserunt ex S. Augustino, qui tom. 1. serm. 113. tanquam certum supponit, nullum festum celebrari ab Ecclesia, nisi ratione sanctitatis in ipso mysterio, vel facto, cui solemnitas ipsa consecratur, loquens enim de natali festivitate B. Cypriani, inquit: *Quid est hoc, fratres, quando natus, ignoramus, & quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus; sed illum diem non celebravimus, etsi nossemus: in illo enim die traxit originale peccatum; in isto autem die vicit omne peccatum.* Nec contentus tradidisse causam celebrationis, subdit exclusionem, concursumque alterius causæ. *Vndè non celebravimus natalitia eius, nisi esset pretiosa in conspectu eius mors sanctorum eius.* Estque communis, & constans D. Augustini sententia ab Ecclesiâ celebrari diem obitus; non autem diem Nativitatis naturalis Sanctorum, excepto Joanne Baptista, quia obitus fuit in gratiâ; Nativitas verò in peccato. Quare Sixtus, qui hunc communem sensum Patrum cum Augustino probè noverat, nullo pacto festum solemne Conceptionis instituisse, nisi sibi persuasisset, illam fuisse sanctam.

132 Vndè Egidius Lusitanus lib. 3. de Conceptione, quæst. 6. art. 1. num. 1. disertè pronuntiat, non posse sine temeritate dici, Conceptionem B. Virginis non celebrari ratione sanctitatis; sed solum in gratiarum actionem, quòd concepta sit, quæ futura erat Mater Dei. *Huic enim explicationi resistit (inquit) sensus omnium fidelium, qui Conceptionem illam, ut penitus sanctam, & immacula-*

ram celebrant. Deinde evidentè resistunt verba Sixti, &c. Et ideò illam explicationem, vt absurdam reijcit P. Vazquez 3. p. disp. 117. num. 62. & 64. P. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. pag. 69. citatque Palatinum asserentem, in quibusdam Martyrologijs expressè poni festum Conceptionis propter summam puritatem, & sanctitatem illius. Reijcit etiam Corduva quæst. 44. pag. 361. Item Granadus, Salazar, Eusebius, & Calderon, qui meritò ait cap. 8. num. 3. solutionem illam nullius esse momenti, Ecclesia enim in hoc festo non tantùm gratias agit Deo ob iacta fundamenta nostræ reparationis; sed ipsam Conceptionem veneratur, vt ex Officio Ecclesiæ apertè constat; alioquin festum non esset Conceptionis; sed gratiarum actionis; neque cultus aliquis deferretur Conceptioni; imò neque ipsi Virgini; sed soli Deo, qui vnus est tanti beneficij author, & cui solùm, non Virgini, grates referuntur. At Ecclesia Conceptionem ipsam colit, & de eâ solemnitatem instituit: *Conceptionis eius* (inquit) *uotiva solemnitas*: ergo sanctitatem ipsius Conceptionis agnoscit.

133 Præterea hæc, & præcedens evasio, & falsa explicatio festi Conceptionis clarè reijcitur ex Bullâ Alexandri VII. statim expendendâ.

## S E C T. X.

*An à tempore Gregorij XV. nomen Conceptionis mutaverit significationem, & ab Ecclesiâ, ex tunc celebretur aliquid indifferens ad sententiam piam, & ad oppositam?*

134 **A**ffirmat Libellator Romanus libello 1. num. 1. & libello 2. num. 3. & 6. nam cum ante Gre-

Gregorium XV. Ecclesia permetteret Patribus Dominicanis, vt celebrarent hoc festum sub nomine, & titulo Sanctificationis, tunc apud omnes idem sonabat in hoc festo nomen *Conceptio*, ac *Conceptio Immaculata*, & pro eodem accipiebatur; & ideò Patres Dominicani cavebant ab illo nomine in celebratione festi, ne viderentur colere Conceptionem, vt Immaculatam. At cum Gregorius XV. ann. 1622. in sua Constitutione *Sanctissimus* iusserit, vt omnes omninò Ecclesiastici hoc festum celebrent sub nomine, & titulo *Conceptionis*, necessariò videtur, mutasse significationem nominis *Conceptio*, & voluisse, vt significaret aliquid indifferens ad sententiam piam, & ad oppositam: quia alioquin magnum præiudicium hoc suo decreto intulisset sententiæ Dominicanorum, quia dum illos obligat ad celebrandum hoc festum sub nomine *Conceptionis*, si nomen *Conceptio* retinet antiquam significationem, & supponit pro Conceptione Immaculata, illos obligasset ad celebrandam Conceptionem, vt Immaculatam, & sic plusquam notabile præiudicium intulisset illi sententiæ; quòd tamen est contra mentem Pontificis, qui expressè in illa sua constitutione dicit, *se per hoc non intendere reprobare illam opinionem, nec ei ullum prorsus præiudicium inferre.*

135 Verùm hoc effugium esse insigne Libellatoris commentum, merumque figmentum, apertè demonstrat D. Antonius Calderon in sua Apologia cap. 10. 11. & 12. Nam nomen *Conceptio* propriè sumptum ex se, nec ante, nec post Gregorium aliud significavit, quàm Conceptionem naturalem Virginis; nunquam autem significavit Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem, quæ methaphoricè solum *Conceptio* dici potest, & est indifferens ad sententiam piam, & ad oppositam, quia solum significat sanctificationem Virginis, sive illa fuerit præservativa à maculâ originali contrahendâ, vt do-

cet sententia pia, siue emundativa à maculâ contractâ, vt dicit sententia opposita. Præterea infusio gratiæ in Scriptura, & Patribus, licet dicatur Nativitas; nunquam dicitur Conceptio; vt probat Cardinalis Everardus in Examine Theologico part. 1. §. 2. & constat ex illo Joannis 1. *Qui non ex sanguinibus, &c. sed ex Deo nati sunt.* Quare illud nomen ex adiectivis adiunctis à Pontificibus appellantis in Officio Divino Conceptionem Immaculatam, & sanctam, determinatur ad significandam Conceptionem naturalem, vt coniunctam cum gratiâ sanctificante in primo instanti infusionis animæ, & hoc ipso quod Ecclesia instituerit festum solemne Conceptionis, hoc ipso significavit illam fuisse sanctam, & vt sanctam à se celebrari: idque intelligant omnes fideles celebrari in festo Conceptionis.

136 Et quidem quod Gregorius non mutaverit significationem huius nominis, constat: quia, vel voluit, vt nomen *Conceptio* deinceps significaret aliquam rationem communem ad Conceptionem naturalem, & spiritua-lem. Et hoc est merum figmentum: quia nequit à Conceptione propriè sumptâ, & à Conceptione metaphoricè sumptâ abstrahi ratio communis, neque hanc rationem abstractam potuit intendere Ecclesia celebrare in hoc festo. Vel voluit, vt hoc nomen *Conceptio* indifferenter significaret, non solum primum instans infusionis animæ in corpus; sed quodlibet ex sequentibus, & hoc est apertè falsum: quia *Conceptio* significat formationem foetus quovsque animetur, & in ipsa animatione *Conceptio* completur, quia tunc proles accipit humanam naturam, vt explicat D. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 1. ad 4. *Nam proles post animationem non manet in materno utero ad accipiendam humanam naturam; sed ad aliqualem perfectionem eius, qui eam accepit.* Vndè in nullo verò sensu potest dici, Conceptionem Virginis fuisse san-

sanctam, si non fuit sanctificata in primo instanti animationis; sed in secundo, vel tertio, vel quarto, &c. vel voluit, vt hoc nomen *Conceptio*, quod antea ex se significabat Conceptionem naturalem, iam deinceps significaret solam Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem. Et hoc est evidenter falsum: quia alioqui Gregorius XV. in eo ipso decreto, in quo intendit trahere Patres Dominicanos ad sensum Ecclesie, dum eos obligavit ad celebrandum sub titulo, & nomine Conceptionis, sub quo celebrabat Ecclesia, & non sub nomine Sanctificationis, non eos traxisset ad sensum Ecclesie; sed potius Ecclesiam traxisset ad sensum Dominicanorum, & penitus evertisset festum Conceptionis Immaculate, & declaravisset, erravisse antea Ecclesiam, dum in hoc festo intendebat celebrare Conceptionem naturalem Virginis, atque ita factum fuisset, vt dum Gregorius studuit Conceptionis proprium sensum omnibus precipere, omnibus interdixisset. Illosque ipsos Immaculate Conceptionis defensores, qui a Gregorio impetrarunt, vt in Officio Divino omnes Conceptionis nomine vtantur, ipso decreto, quo putant, se vicisse victos fuisse, seque in alienis castris militare repente vidisse, qui ad sua alios, vel invitos se traxisse putabant. Atque ita post Gregorium nihil in festo Conceptionis remansisset, nisi inane vocabulum. Et cum vox *sanctificatio* Gregorio displiceret propter significationem abstrahentem, nihilominus rem significatam per illud nomen placuisse, ac proinde vocem ab ipso fuisse prohibitam; significationem vero fuisse preceptam. Quis hoc credat? Imò quis non rideat commentum? Evidentissimum ergo est, post Gregorium nomen Conceptionis non significare sanctificationem abstrahentem ab eo quòd fuerit preservativa, vel emundativa; sed manere in sua significatione naturali, & ex intentione Ecclesie

in festo Conceptionis celebrari Conceptionem naturalem ratione sanctificationis præservantis, & Gregorium XV. maximè promovisse sententiam piam, dum Dominicanos compulit venerari, & colere Conceptionem naturalem: quia licèt hoc decreto non obligaverit ipsos directè ad iudicandum speculativè, B. Virginem præservatam fuisse à maculâ originali in suâ Conceptione; obligavit tamen illos ad se conformandum iudicio practico cum Ecclesia, celebrando nomine ipsius quod ipsa intendit celebrare, nempè Conceptionem vt Immaculatam.

## S E C T. XI.

*Quo pacto Gregorius XV. verè dicere potuerit, se nullum præiudicium inferre velle sententiæ minùs piæ in eo ipso decreto, in quo iussit, vt, amoto Sanctificationis vocabulo, omnes omninò hoc festum celebrent sub titulo, & nomine Conceptionis?*

137 **U**T fundamentum Libellatoris dissolvamus, & hanc difficultatem breviter expediamus, præmittendum est, quod Pontifices Romani ante Gregorium circa hoc festum decreverant. Instituerat Sixtus IV. festum Conceptionis Immaculatæ; sed liberam reliquerat facultatem oppositam sententiam privatim, & publicè, verbo, & scripto defendendi. Pius V. novis honoribus cumulavit, dum mutato officio, Nativitati æquavit Conceptionem, addito præcepto uni-  
ver-

versali, vt omnes celebrarent Conceptionem, sicut & alia festa, quæ in Breviario Romano reliquit in ipsâ eius reformatione: libertatem deinde illam, quam reliquerat Sixtus, intra cancellos disputationis Academicæ, & Capitularis coercuit. Paulus V. aliquid aliud addidit in favorem Immaculatæ: nam contrariam sententiam obmutescere in publico iussit. Denique Gregorius XV. mutam omninò redidit, dum ne in privatis quidem colloquijs, aut scriptis sandi facultatem permisit, iubens præterea, vt exclusa ab Officio Divino sanctificationis voce, omnes omninò Conceptionis nomine vterentur; quo sententiam piâ de Immaculata Virginis Conceptione ita exaltavit, vt nihil successoribus præter definitionem reliquisse videatur, & ideò hoc eius decretum solemnissimis, & festivis gaudijs exceptum est in Hispania eo anno 1622. solemnissimaque pompa celebratum magnis sumptibus.

138 Mentem Gregorij in hoc decreto aperiemus, si verba eius integra referamus. Igitur postquam Gregorius in illo suo decreto ampliavit prohibitionem Pauli V. illamque extendit ad privata etiam colloquia, & scripta, cogens opinionem Dominicanorum in angulo mentis delitescere, & authores illius obligans, ne lingua expriment internum mentis iudicium; sed alto silentio premant, statim subiunxit: *Per hoc tamen sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquàm quoad in supra dicto fœlicis recordationis Pauli V. & hoc suo decreto disposita.* Et postmodum confirmans constitutiones Sixti IV. & aliorum suorum prædecessorum in favorem Immaculatæ Conceptionis editas, subiunxit præceptum, quo omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quàm cuiusvis ordinis, & instituti regularibus mandat, ac præ-

præcipit, ut in sancto Missæ sacrificio, ac Divino Officio celebrandis tam publicè, quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti debeant. Ex quibus verbis planum est, dum Gregorius dicit, se non intendere per hoc vllum præiudicium inferre opinioni illi, loqui de præiudicio alio distincto ab ijs, quæ à suis prædecessoribus illata fuerant, & ab eo quod ipse hoc novo suo decreto intulit, ut patet ex illa clausula exceptiva *Præterquam quoad, &c.* Manifestum autem est, Sixtum IV. dum instituit festum solemne Immaculatæ Conceptionis, non modicum præiudicium intulisse opinioni affirmanti Conceptionem fuisse maculatam; & Paulum V. hoc præiudicium auxisse, dum iussit illam in publico obmutescere, & multò magis ipsum Gregorium, dum illi etiam in privatis colloquijs silentium imposuit, & mutam omninò reddidit: præcipuè verò dum eius assertores coegit, ut in celebrando festo Conceptionis, non propriam sequerentur opinionem, sed se conformarent sensui Ecclesiæ Romanæ festum hoc celebrantis sub titulo, & nomine Conceptionis. Hæc præiudicia magna sunt; sed ea non excludit Gregorius suo decreto; sed potius supponit: solùm ergo dixit, præter hæc præiudicia se nullum aliud velle inferre illi opinioni, & dum hoc dixit, solùm significavit, se nolle veritatem sententiæ piæ definire, ac proinde sententiam rigidam hæreticam, aut erroneam declarare, vel vllam illi censuram invrere, sed eam relinquere, quoad hoc, in eodem statu, quem habebat tempore Pauli V. Ideò autem addidit clausulam illam, ne per silentium impositum sententiæ rigida, illam videretur damnasse: cum enim prohibere vsum externum etiam privatum alicuius sententiæ, videri posset alicui damnatio, aut censura, ideò Gregorius cum silentium indixisset opinioni illi, addidit, se per hoc non intendere reprobare hanc opinionem, id est, eam hære-

ticam, aut erroneam declarare, nec ei vllum præiudicium afferre, id est, aliquam aliam censuram invrere.

139 Obligat verò Patres Dominicanos hoc præceptum Gregorij, vt dum hoc festum celebrant, vel proprium iudicium speculativum de peccato originali Virginis deponant, vel contra illud se conforment in iudicio pratico cum Ecclesiâ. Illustrissimus Araujo 1. 2. q. 81. art. 3. pag. 421. ait, mandatum de celebrando huiusmodi festo non cogere ad mutandum iudicium, quod est actus intellectus, nisi tantum ad exhibendum pium affectum, & cultum præstandum, qui est actus voluntatis in obsequium B. Virginis, ac proinde asserit, affectum conformandi se cum Romana Ecclesia non esse incompatibilem ex natura rei, aut ex Dei, vel Ecclesiæ ordinatione cum retentione proprii iudicij, ac opinionis negantis Immaculatam Virginis Conceptionem, ac proinde discipulos Angelici Præceptoris cum retentione propriæ opinionis se laudabiliter cum Ecclesia conformare in celebrando indictum ab ipsa Conceptionis festum.

140 Revera tamen difficilè apparet, quomodo possit quis veraciter, & sine simulatione celebrare festum Conceptionis exhibendo cultum Conceptioni naturali Virginis iuxta sententiam piam, quam in hoc festo sequitur Ecclesia, & venerando illam, vt Immaculatam, dum iudicat fuisse maculatam: *Nec enim Conceptionem Virginis* (inquit P. Valentia tom. 4. disp. 2. q. 1. punct. 2.) *tanquam Immaculatam celebrare veraciter, & sine simulatione potest is, qui non putat fuisse Immaculatam.* Nec facile capio, quomodo possit quis ex vna parte iudicare Ecclesiam Romanam colere Conceptionem Virginis, tanquam Immaculatam, & agnoscere se obligatum esse ad conformandum se in celebratione festi cum Ecclesiâ Romanâ; & aliunde suum iudicium speculativum præ-

præferre iudicio speculativo totius Ecclesiæ, & internè iudicare, Ecclesiam etsi sanctè, & honestè celebret festum Conceptioni iuxtà opinionem sibi probabiliorem de sanctificatione Virginis in primo instanti; tamen materialiter Ecclesiam errare, sicut errat is, qui sectatur opinionem sibi probabiliorem; re ipsa tamen falsam, quæ dicat aliquid esse licitum, quod re ipsa est prohibitum.

## S E C T. XII.

*An Alexander VII. declaraverit, obiectum formale festi Conceptionis esse sanctificationem Virginis in primo instanti animationis?*

141 **Q**Uamvis Sixtus VI. Paulus V. & Gregorius XV. sententiam piam exaltaverint; nullus tamen Pontifex eam tantùm evexit, quantum Alexander VII. qui ann. 1661. constitutionem edidit, quæ incipit *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, & inter Bullas huius Pontificis est centesima decima septima, & habetur tom. 5. Bullarj pag. 346. titulus eius est hic: *Innovatio constitutionum, & decretorum in favorem sententiæ asserentis, animam B. Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpore infusione à peccato originali præservatam fuisse, editorum.*

142 Hoc posito, respondeo affirmativè: quia Alexander VII. in hac Bulla declaravit, pietatem fidelium in hoc festo colere sanctitatem Virginis in primo instanti creationis animæ, & infusionis in corpus, & Sixtum IV. instituisse hoc festum in commendationem huius pietatis, & sententiæ affirmantis B. Virginem præservatam fuisse

fuisse à macula originali, ac proinde mentem Sixti fuisse per hoc festum colere hoc privilegium Virginis. Id constat ex 1. §. Bullæ, in quo ita scribit Alexander. *sane vetus est* Christi fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratiâ, & privilegio intuitu meritorum Jesu Christi eius filij humani generis Redemptoris, à maculâ peccati originalis præservatam, immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemnî ritu colentium, & celebrantium, crevitque horum numerus, atque huiusmodi cultus post editas à fœlicis recordationis Sixto Papa IV. prædecessore nostro in eius commendationem Apostolicas constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari *mandavit*. Vbi expendendum est Alexandrum hîc aperte asserere Sixtum IV. edidisse illas constitutiones in commendationem cultus, quem fideles exhibebant Immaculatæ Conceptioni: ergo certum est ex declaratione Alexandri VII. Sixtum IV. per illas constitutiones instituisse festum, ut Ecclesia Romana coleret illud ipsum, quod vetus fidelium pietas colebat, nempe gratiam Virginis in primo instanti, & præservationem à macula originali.

143 Præterea §. 3. reprehendit aliquos assertores sententiæ rigidæ, qui post tot Pontificum Bullas editas in favorem Immaculatæ Conceptionis, adhuc persuadere conabantur, Ecclesiam in hoc festo non colere gratiam Virginis in primo instanti, sic enim ait: *Pergunt aliqui* contrariæ illius opinionis assertores contra prohibitiones Pontificum, tum privatim, tum publicè præfatam sententiam (nempe piam de Immaculata Conceptione) aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & festo secundum illam præstitum, ita

interpretari, vt frustrentur, imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui iuxtà illam B. Virgini exhibito favere negant, pios Christi à suâ pacificâ quasi possessione *deturbare conando*. Ex quibus verbis constat, Ecclesiam Romanam favere sententiæ piæ, & cultui, qui secundùm illam exhibetur B. Virgini, vt sanctificatæ in primo instanti Conceptionis: ergo certum est ex declaratione Alexandri VII. Ecclesiam protegere sententiam piam, & festum secundùm illam instituisse, & cultum exhibere Conceptioni Immaculatæ: ergo certum est obiectum formale huius festi esse gratiam in primo instanti.

144 Præterea Alexander §. 4. illius constitutionis clarissimè docet, Ecclesiam Romanam semper à tempore Sixti IV. in hoc festo exhibuisse cultum Conceptioni Immaculatæ iuxtà sententiam piam, & fallaces interpretationes huius festi ab Authoribus sententiæ contrariæ adhibitas reiiciens dicit, se velle manutene-  
 re fideles in possessione celebrandi solemniter sanctificationem Virginis in primo instanti animationis: *Nos* (inquit) *considerantes*, quòd Sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium Officium olim ordinavit iuxtà piam, devotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. prædecessore nostro, tunc emanavit; volentes laudabili huic pietati, & devotioni, & festo, ac cultui secundùm illam exhibito in Ecclesiâ Romanâ post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem, & devotionem hanc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritus Sancti gratiâ, à peccato originali præservatam; cupientesque in Christi grege vnitatem spiritus in vinculo pacis sedatis offen-

si onibus, & iurgijs, amotisque scandalis conservare: constitutiones, & decreta à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis, animam B. Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præservatam fuisse, necnon & in favorem festi, & cultus Conceptioni eiusdem Virginis Mariæ secundum piam istam sententiam, vt præfertur, exhibito, innovamus, & sub censuris, & poenis in eisdem constitutionibus contentis observari *mandamus*. Vbi expendendum est Alexandrum VII. vt Ecclesiæ caput expressè testari, se velle tueri pietatem colendi B. Virginem fuisse conceptam in gratia, & sine macula peccati: ex quo constat Ecclesiam non permittere tantum; sed positivè tueri festum Conceptionis Immaculatæ, & manifestè sentire obiectum huius festi esse gratiam in primo instanti infusionis animæ in corpus.

S E C T. XIII.

*An certum omninò sit, sententiam piam esse saltem probabiliorem opposita?*

145 **C**ardinalis Caietanus opusculo de Conceptione cap. 5. §. *Quod autem*, intrepidè asserit, *Nullum Sanctum, nullum illustrem Doctorem antiquum pro hac parte (nempe pro sententia negante) asserri, nisi forte à falsarijs*. Et solvens argumentum pro sententia pia petitum à communi sensu fidelium, dicit, *Opinionem piam ex eo reddi probabilem, quia probabile est, quod multis videtur*. Et statim subdit: *Sed probabilitas hæc vulgarem authoritatem non excedit, & eidem contraponitur, quod probabile in veritate est, quod videtur sapientibus, qui, vt patet*

ex dictis, contrariam sequuti sunt opinionem; vulgus autem probabile in apparentia; non in veritate constituit. Quare sententiæ piæ solam Caietanus concedit probabilitatem apparentem, & secundum quid: & postmodum §. Ex his ait, suam sententiam esse vere probabilem; nostram verò esse tolerabilem, additque, apud eos, qui assueti sunt vere Theologiæ Sanctorum, parum, aut nihil habere probabilis: & in commentarijs 3. part. postea ab ipso scriptis q. 27. art. 2. §. Ad hoc de piâ sententiâ loquens, inquit, tempore Divi Thomæ fuisse inopinabilem, & addit, quæ hodie mulieribus, vulgo, affectuque nonnullorum pio, multorum autem industriâ, ac questu agentibus, ita prevaluit, ut doctrinæ Sanctorum estimata pietas preferatur: & statim eam appellat, novam, & alienam à doctrina antiquorum Patrum, & Sanctorum communiter: & demum in fine Commentarij, de eadem loquens; probabilis, inquit, profecto opinio, nisi Sanctorum antiquorum authoritas obstaret longè probabiliorē reddens contrariam opinionem. Caietanum sequutus Canus lib. 7. de locis cap. 1. num. 3. dixit, omnes Sanctos, qui in eius rei mentionem incidere, vno ore asserere B. Virginem in peccato originali conceptam. Idem dicit Medina 3. p. quæst. 27. art. 2. in 2. conclus. & sic loquuntur multi ex adversarijs in fide Caietani.

146 Sed quis non videat in hac censura valdè excessisse Caietanum, & sufficientem occasionem tribuisse Ægidio, ut lib. 3. de Conceptione quæst. 6. art. 3. num. 3. & 4. hæc Caietani dicta appellet debilia, illumque acriter reprehendat toto §. 6. illius articuli? In eumque ob hanc causam invehitur etiam noster Salazar de Conceptione cap. 43. modestius tamen quam Ægidius. Quid enim aliud est asserere, sententiam piam esse parum probabilem, & omnes Ecclesiæ Patres contra illam stare, quam virtualiter asserere, errasse Sixtum IV. totamque Ecclesiam celebrando festum Concep-  
tio-

tionis secundum illam sententiam, in eiusque commendationem?

147 Nec fanè nimis temerarium erit suspicari ita Caietanum apud se sensisse, qui alibi asseruit, iudicium Romani Pontificis in Canonizatione Sanctorum non habere certitudinem, nisi humanam, id est, *fallibilem, & verè incertam*, vt testatur Catherinus in opusculo de gloria Sanctorum lib. 1. pag. 9. Idque à fortiori licet suspicari de Vincentio Bandello, qui post editas Constitutiones Sixti IV. tam acerbè insectatus est sententiam piam, vt ausus sit affirmare, *opinionem, quæ affirmat B. Virginem originale peccatum contraxisse, ex solo communi consensu Patrum esse de fide, & oppositam esse hereticam*, vt refert Ægidius lib. 3. quæst. 4. art. 5. num. 11. & cum esset Generalis Ordinis Officium composuit Sanctificationis recitandum in sua Religione 8. Decembris, in quo sæpè dicitur B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali, vt testatur D. Antonius Calderon cap. 13. num. 16. & cap. 14. num. 9. qui duas eius officij editiones vidit, & hoc fecit Bandellus, vt videtur, vt illud officium opponeret officio Noguerois approbato à Sixto IV. atque adedò *altare contra altare extraxit*, vt olim in alia causa Augustinus conquestus est, nimirum tom. 6. in Psalmo contra partem Donati.

148 Ne ergo dicamus, Ecclesiam errasse, fatendum est, sententiam piam esse probabiliorem oppositâ, & contra illam non stare communem sententiam Patrum: quia impossibile est, vt Ecclesia aliquid statuerit contra communem sensum Patrum, per quos Deus illam illustrat, nec permittere potest, vt omnes in aliquo dogmate falso stabiliendo conveniant. Quare P. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 6. meritò dixit, *Ecclesiam approbantem festum Conceptionis declarare, se probare sententiam illam, vt piam, magisque probabilem*: & P. Aldrete in con-

trouersia de Immunitate Deiparæ à peccato originali disp. 4. sect. 2. num. 24. asserit, Pontifices declarasse sententiam piam esse probabiliorem; *Nunquam enim* (inquit) *colendum*, venerandumque populis proponerent, nisi quod non solum magis pium; sed magis probabile est: non enim præcipiunt colere, quod *minus uero congruit*. Imò Salazar eo cap. 43. expressè affirmat, *definitum omnino*, ac determinatum esse hodie in Ecclesia, eam doctrinam, quæ docet Virginem à peccato originali immunem, magis probabilem, magis piam, & *magis tutam esse*, quod ibi latè probat. Idemque expressè docet Ægidius lib. 3. q. 6. art. 1. §. 9.

149 Ego autem, licèt non asseram, Ecclesiam definisse, & determinasse directè, sententiam piam esse magis probabilem: quia, hoc ipso, foret formaliter hæreticus, qui hoc negaret; tamen dico, id determinasse virtualiter hoc ipso, quod instituerit festum solemne Conceptioni, & hanc, ut immaculatam, & sanctam cultu Ecclesiastico venerata sit à tempore Sixti IV. quia hoc ipso ex praxi Ecclesiæ per necessariam consequentiam sequitur, quòd sententiam piam habuerit, & reputaverit probabiliorem, & talem opere ipso, & praxi declaraverit. Et sanè in re tam graui Romanus Pontifex non potuit tanquam Ecclesiæ caput illi præcipere, vel consulere, ut celebraret solemne festum Conceptioni, nisi certò ipsi constaret, sententiam piam esse opposita probabiliorem: nam si censuisset, esse minùs, vel saltem æquè probabilem, imprudenter ageret, obligando ad celebrandum festum illud, quia hoc ipso, vel censeret fuisse conceptam in peccato originali, vel prudenter dubitaret, an esset concepta in gratiâ? Nam si censeret, sententiam piam esse minùs probabilem, non posset formare iudicium certò prudens de Conceptione Virginis in gratiâ, quale requiritur ut Pontifex aliquid toti Ecclesiæ  
præ-

præcipiat; si tamen Ecclesia censeret, sententias illas esse æquè inter se probabiles, maneret prudenter anceps, & dubia, nec posset tunc formare iudicium certò prudens de veritate sententiæ piæ: ergo vt Pontifex tanquam Ecclesiæ caput præceperit, vel consuluerit publicum, & solemnem cultum Conceptioni exhibendum, debuit prius ipsi certò constare, sententiam piam esse absolutè probabiliorem: nam hoc iudicium præuivum certum de maiori probabilitate est essentialiter prærequisitum ad iudicium speculativum certò probabile, & prudens de veritate illius sententiæ: hoc autem iudicium necessariò debuit præcedere in Pontifice ante institutionem huius festi: non potuit enim instituere ex intentione, vt coleretur gratia Virginis in primo instanti, nisi ex persuasione prudenti, quòd concepta fuerit in gratia.

150 Caietanus dicens nullum Sanctum, aut antiquum Doctorem stare pro nostrâ sententiâ, miserè fallitur: nam, vt inquit Cano lib. 7. de locis cap. 3. loquendo de Caietano, *vetustæ traditionis parum tenax, & in Sanctorum lectione parum quoque versatus fuit.* Rursus: Caietanus in opusculo de Conceptione, cap. 4. asserit, quindecim Sanctorum authoritates à se pro sua sententiâ allegatas compilasse ex libris Magistri Vincentij de Castronovo, id est, Bandelli; qui quidem Author incitandis Doctoribus parùm fidei meretur, vt enim inquit Eusebius libro exceptionum cap. 24. *Bandellus in opere suo aduersus Immaculatam Conceptionem interponit, mutilat, & supponit authoritates scriptorum.* Vndè Ægidius lib. 3. de Conceptione quæst. 4. art. 4. §. 1. & alibi sapè illum *falsarium* appellat, & quia Caietanus ex eius fonte bibit, eandem notam illi inuit in præmio quæstionis 4. num. 5. Imò Hipolytus Marracius in opusculo cui titulus *Fides Caietani* ostendit omnes ab ipso adductas  
pro

pro sua sententia auctoritates, vitiatas, & corruptas adduci.

151 Magis ergo credendum est eruditissimis huius sæculi Scriptoribus expressa Sanctorum testimonia pro sententiâ piâ adducentibus, ut sunt Canisius, Salmeron, Bellarminus, Soarius, Valentia, Vazquez, Salazar, Aegidius de Præsentatione, Petrus Alva, & alij, inter quos non parum eminent noster Venerabilis Eusebius. Quam falsa sit illa Caietani propositio ex eo insuper constat, quod Aegidius postquam lib. 3. de Conceptione quæst. 4. art. 2. §. 1. latè examinaverat verba Patrum adducta à Caietano, & Bandello, tandem §. 2. num. 138. ait, *Ex his constat, Patres à Caietano, & Bandello adductos non docere B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam: & num. 163. addit quatuor tantum Patres afferri posse pro sententia rigida, nimirum Gerardum Episcopum, & Martyrem, Innocentium III. & Bernardum, & statim num. 164. dictum Caietani iterum carpit. Iam verò supra ostendimus, D. Bernardum loquutum fuisse de sola Conceptione materiali.*

152 Tandem idem Aegidius lib. 3. quæst. 6. art. 3. num. 37. retundens Caietani propositionem, eiusque manifestam falsitatem ostendens, *Evidenter, inquit, patet ex his, quæ de Patribus diximus supra quæst. 4. vbi §. 1. citavimus 29. Patres, qui ab originali macula eam liberant; & §. 2. ex sanctis, & antiquis Patribus novem adduximus, è quorum doctrina necessariò infertur eos eam docuisse veritatem, §. 3. retulimus plusquam duodecim, qui eidem veritati maximè favent; §. autem 4. latè ostendimus, Augustinum pro eadem stare veritate. Hæc Aegidius, cui consonat noster Salazar, qui in illustri opere de Conceptione cap. 42. sigillatim discurret per singula Ecclesiæ sæcula, & quid in singulis Ecclesiæ Patres de Conceptione scripserint, diligenter expendit, & tandem*

dem pag. 427. disertè pronuntiat in primis vndecim Ecclesiæ sæculis, seu ante sæculum duodecimum, apud antiquos Patres de Virginis impolluta innocentia nullam concertationem fuisse, adeo vt affirmare (inquit) *ausim*; nullum vtique fuisse ante duodecimum sæculum, qui clarè, & apertè docuerit B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse; cum tamen plurimos citet, qui ante hoc sæculum apertè docuerunt B. Virginem ab omni peccati macula immunem fuisse.

153 Sed quod maximum pondus habet ad convincendum de falsitate assertum Caietani, & Bandelli, est testimonium Venerabilis Cardinalis Bellarmini: siquidem in Congregatione Cardinalium habita coram Paulo V. ann. 1617. circa hoc punctum, postquam veritatem sententiæ piæ ostendit, obijcientibus adversarijs, omnes Patres esse pro contraria sententia, reposuit. *Ad hoc argumentum* respondeo, non posse fieri, vt omnes Sancti fuerint nobis contrarij: nam tunc nostra Ecclesia erraret, quæ est columna, & firmamentum veritatis, & contra quam portæ inferi non prævalebunt, nec Pontifex errat dum Ecclesiam docet, cum Christus pro illo oraverit, vt non deficiat *fides eius*. Ita refert P. Eusebius in tractatu de perpetuo obiecto festi Conceptionis cap. 31. qui hæc verba, & alia statim referenda legit in authographio eiusdem Cardinalis, quod è Roma transmissum est ad Catholicum Regem Philippum IV.

154 Idque magis constat: nam cum obijceretur in illa Congregatione, satis constare ex D. Bonaventura, communem sententiam Patrum esse, quod B. Virgo fuerit in peccato originali concepta, quandoquidem ille in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 2. de sententia rigida, quam ibi sequitur, inquit: *Magis concordat* Sanctorum auctoritati, pro eo quod communiter Sancti, cum de materia illa loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa ge-

neralitate, qua dicitur: omnes in Adam peccaverunt; nullus autem invenitur dixisse de his, quos audiuimus auribus nostris, Virginem Mariam à peccato originali fuisse *immanem*. Cum, inquam, obijceretur, respondit idem Cardinalis in eadem Congregatione, vt refert P. Eusebius in libro exceptionum cap. vltimo, *Sanctum Bonaventuram* nullum Patrem Sanctum citasse, nisi S. Bernardum; & S. Anselmum: *Nec poterat* (inquit) citare, quia paucissimos noverant illo tempore Scholastici, qui Magistrum sequebantur, qui vix alios citat, quam Augustinum, Ambrosium, & Hilarium; ita quod verba illa Bonaventuræ: communiter Sancti solum excipiunt Christum: intelliguntur de paucis illis, quos tunc noverant Scholastici.

155 Additque Bellarminus: *Verba eadem Bonaventuræ* satis indicant eum loqui de Sanctis, qui non expressè loquuntur de Beata Virgine; sed solum in genere dicunt solum excipi Christum à peccato originali, quod est verum de illis, qui ex vi Conceptionis concipiuntur sine peccato originali; sed inde non sequitur excipi non debere Virginem, quæ non ex vi Conceptionis; sed ex gratia Christi præservata fuit. Itaque negamus omnes Sanctos antiquos stare contra nostram sententiam; imò vix vnus, aut alter invenietur, & nos contra habemus multos in contrarium. Ego vidi, quos citat Joannes de Turrecremata, & quos Vincentius Bandellus, & quos Caieranus, & vix vnum locum inveni, *qui convincat*. Hæc Bellarminus.

156 Itaque non potest modo dici sine ingenti temeritate, aut errore sententiam piam habere apparentem, aut exiguam probabilitatem. Imò nec dici potest eam esse absolutè minùs probabilem, quàm oppositam prout expressè affirmavit Medina 3. p. quæst. 27. art. 2. in 4. conclusione, qui id scripsit anno 1588. quia non-  
dum.

dum pròdierant Constitutiones Pauli V. Gregorij XV. & Alexandri VII. in fauorem Immaculatæ Conceptionis, post quas id sine temeritate, & errore dici non potest; imò neque potest asseri sententiam rigidam esse æquè probabilem, ac piam, quia hoc ipso prudenter dubitari posset, an erret Ecclesia in celebrando festum Conceptionis. Quapropter nunc iam est omninò certum, piam sententiam esse absolutè probabiliorem rigidà.

S E C T. XIII.

*An sententia pia sit moraliter certa? Vbi quid probet ratio D. Thomæ: quid Augustinus, & alij Patres senserint, quid in hac causa Scotus egerit, & cur sententia opposita fuerit communis tempore D. Thomæ?*

157 **P** Valentia tom. 4. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. piam sententiam appellat longè probabiliorem opposita; & sic communiter loquuntur huius sententiæ assertores. At Eximius Doctor tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6. conclus. 4. existimat illam hoc tempore, tam esse probabilem, quàm intra latitudinem opinionis esse potest; ac proinde sentit habere summum gradum probabilitatis. Scripsit autem hoc ann. 1591. quando Summi Pontifices hanc sententiam nondum tantopere exegerant; Quid diceret modo si vidisset Constitutiones Pauli V. Gregorij XV. & Alexandri VII? P. Puente-Hurtado ann. 1634. tom. 2. in 3. part. disp. 89. sect. 8. §. 128. asseruit, oppositam sententiam iam non esse probabilem.

Idemque postea docuit Aldrete tom. 1. in 1. 2. in controversia de immunitate Deiparæ à peccato originali disp. 4. sect. 7. vbi affirmat, *Ecclesiam instituendo hoc festum, oppositam sententiam reddidisse improbabilem.*

158 Multò luculentius id docuerat P. Granadus ann. 1617. in tractatu de Conceptione disp. 3. cap. 30. in 5. conclus. vbi asserit, *nostris temporibus esse moraliter certam, & evidentem sententiam, quæ affirmat B. Virginem fuisse præservatam à peccato originali.* Idque probat: quia moralis evidentia, & certitudo gignitur ex magna multitudine motivorum efficacium, comparatione quorum vix est aliquid, quod in contrarium adduci possit; at pro Immaculata Conceptione est adeo magna multitudo motivorum efficacium, vt comparatione illorum vix aliquid sit, quod adduci possit in contrarium: ergo, &c. Minorem latè probat ex dictis à se in toto illo tractatu. Idem docuit P. Salazar ann. 1618. cap. 43. §. 2. vbi rationem reddit, cur moraliter certam, & evidenter appellet sententiam piam: *Quia ille* (inquit) *doctrina dici potest moraliter certa, quæ si conferatur cum alijs, quæ certitudinem, & infallibilitatem habent, nec minora, nec infirmiora fundamenta habet, atque adeo similem certitudinem præfert: eiusmodi igitur est sententia, quæ tradit Sanctissimam Deiparam ab originali culpa immunem: nam si conferatur cum alijs fidei dogmatibus, quæ post definitionem Ecclesiæ certa, & infallibilia sunt, non videtur habere minores, aut imbecilliores probationes, vt proinde moraliter infallibilis, & indubitata haberi possit; quamvis physicè, & à parte rei, (inquit) non repugnet illi falsitatem inesse.*

159 His Authoribus libenter assentior, & assero sententiam piam esse, saltem moraliter, omninò certam. Idque ex varijs capitibus ostendo.

§. I.

*Primum caput probandi certitudinem moralem sententia pia à revelationibus.*

160 **Q**UAMVIS hæc sententia ad sui firmitatem revelationibus privatis non indigeat; multæ tamen graves circumferuntur, quæ moralem ipsius certitudinem satis ostendunt: triginta duas enumerat Regestum Franciscanum à colum. 587. factas scilicet Sancta Birgittæ, Sancto Anselmo, Sanctæ Ildegardi, Sanctæ Gertrudi, Sanctæ Mechtildi, Sanctæ Elisabethæ Hungariæ, Sanctæ Franciscæ Romanæ, & alijs tum Sanctis, tum personis virtute insignibus, inter quas recenset eam, quam habuit Venerabilis noster Ildephonsus Rodericus vitæ sanctitate, & miraculis clarus, qui sibi divinitus revelatum affirmavit, *vnam ex causis, ob quas Deus Religionem Societatis fundavit, fuisse vt defenderemus, & prædicaremus Conceptionem suæ Matris.* Quod tanto ardore spiritus affirmavit, vt nihil affectuosius dicere auditus sit, addens, *id non ex suo capite proferres; sed quia coelitus sibi fuerat revelatum.* Ita in relatione vitæ ipsius testificatus est P. Michael Julianus Rector Collegij Maioricensis. Multas alias adiungit P. Eusebius in disertationibus epistollicis, Epist. 14. inter quas insignis est illa, quæ facta est B. Oringæ Christianæ, quam adducit Bolandus tom. 1. Januarij 10. Sed inter revelationes factas personis nondum ab Ecclesia Beatificatis magnæ authoritatis sunt illæ, quas habuit Venerabilis Virgo Marina de Escobar, & 1. p. vitæ ipsius referuntur à nostro Venerabili Ludovico à Ponte, & quas habuit Venerabilis Maria à Jesu, & ipsa scribit 1. p. historię divinæ B. Virginis.

161 Inter omnes autem magis authenticæ sunt re-

velationes Sanctæ Birgittæ : quia illas videntur approbasse aliqui Romani Pontifices : nam Gregorius IX. & Urbanus VI. ( vt testatur Cardinalis Turrecremata in prologo defensionis revelationum huius Sanctæ cap. 1. ) ille circa annum Domini 1377. hic aliquot post annos multis peritissimis , ac circumspèctissimis Cardinalibus, Episcòpis , ac Magistris examinandos commisit libros revelationum huius Sanctæ foeminae, & vterque conformiter ad relationem sibi factam , prædictos approbavit libros. Similiter easdem revelationes videntur approbasse Bonifacius IX. & Martinus V. quorum ille, quamvis schismatis tempore ann. 1389. electus fuerit, verus fuit Pontifex, legitimèque electus contra Anti-Papam Clementem; hic verò ad sedandum longum illud schisma, concordii suffragio in Generali Constantiensi Concilio ann. 1417. renuntiatus est Pontifex, & vterque non solum libros revelationum Sanctæ Birgittæ, vt fecerant Gregorius, & Urbanus; sed ipsam etiam Sanctorum Catalogo adscripsit, sicut ex Cardinali Turrecremata, & ex Bullis, quas ibi refert, constare potest.

162 Revelationes istæ habentur lib. 1. revelationum cap. 9. & lib. 6. cap. 55. Revelationum Sanctæ Birgittæ, & apud P. Eusebium in opere Parthenico cap. 49. Earum autoritatem conatus est labefactare Caietanus, vt inquit Catherinus in disp. pro Immaculata Conceptione lib. 1. pag. 9. etiam *Dive Birgittæ canonizationem vocavit in dubium*; quæ tamen & in Constantiensi Concilio decreta, & à Romano Concilio specialiter confirmata, & ab omni recepta Ecclesia non minorem debet habere vigorem, & firmitatem, quàm quælibet alia cuiusvis alterius Sancti Canonizatio habeat. Et subiungit: *Vide ergo, Lector, quantum valeat zelus, & semel iactæ positionis pertinacia*; & lib. 3. pag. 65. plura habet contra Caietanum.

163 Hic Doctor ad extenuandam revelationem Sanctæ Birgittæ, ait contrarium fuisse revelatum Sanctæ Catharinæ Senensi; verum, vt inquit P. Vazquez disp. 117. num. 75. id nulla ratione probari potest: quia nec Raymundus, nec Stephanus Carthusiensis, nec Fr. Thomas Senensis, nec vllus alius, qui vitam eius scripsit talis revelationis mentionem facit. Quapropter, vt inquit Doctor Eximius disp. illa 3. sect. 5. *Hæc revelatio tunc inuenta videtur, quando necessaria visa est ad extenuandam auctoritatem aliarum; eam verò falso huic sanctæ affigi, efficaciter ostendit Petrus Alva in Sole veritatis, radio 36. Sanè Pater Nicolaus Lancicius tom. 2. opusc. 11. cap. 13. testatur, se ann. 1639. vidisse revelationes Sanctæ Catharinæ impressas Venetijs ann. 1504. & nullum vestigium talis revelationis ibi inuenisse, additque, fieri potuisse, vt illa sicut filia spiritalis Patrum Dominicanorum ab aliquo confessore edocta fuerit, vt id de B. Virgine sentiret, & secundum naturalem hunc sensum loquuta sit, falsumque omninò esse quod loquuta sit in alio sensu.*

§. II.

*Secundum caput, ab absurdis doctrine  
opposita.*

164 **E**X hoc capite arguo primo: quia si opposita sententia absolutè probabilis est, poterit quis prudenter affirmare Ecclesiam cultu publico colere mendacium: nam qui prudenter affirmare potest, B. Virginem non fuisse sanctam in primo instanti animationis, prudenter affirmare potest, Ecclesiam tanquam sanctam celebrare Conceptionem, quæ sancta non fuit,  
ac

ac proinde in hoc cultu deferendo falli, & per ignorantiam errare, quod planè absurdum videtur. Secundò: quia si certum, saltem moraliter, est, Sanctos Beatificatos decessisse in gratia, quia Romanus Pontifex, vt supremus Pastor permittit eos tanquam Sanctos coli; à fortiori certum moraliter erit, B. Virginem conceptam esse in gratia: siquidem Romani Pontifices, non solum permittunt; sed positivè præcipiunt ipsius Conceptionem naturalem celebrari ratione Sanctificationis, quam in illa agnoscit sententia pia. Tertiò: quia cum vel formaliter, vel virtualiter ab Ecclesia definitum sit, sententiam piam esse probabiliorem oppositâ, evidens est posse vniversos Christi fideles piè, & prudentissimè credere, sibi que persuadere B. Virginem conceptam fuisse in gratia; impossibile autem est, vt omnes fideles in re tam gravi fallantur: ergo impossibile, saltem moraliter, est, quod sententia pia sit falsa, ac proinde est, moraliter saltem, certa.

165 Quartò: quia impossibile est vt sententia pia vnquam ab Ecclesia damnetur tanquam falsâ: ergo est saltem moraliter certa. Antecedens probatur ex verbis, quæ Cardinalis Bellarminus scripto tradidit Congregationi Cardinalium habitæ coram Paulo V. ann. 1617. quæ adducit P. Eusebius in tractatu de perpetuo oblecto festi Conceptionis cap. 31. *Quia hoc esset* (inquit) dicere quod Sedes Apostolica erraverit in approbando Officio Conceptionis, & tota Ecclesia erraverit in recipiendo, quod certè falsissimum, & erroneum est. Nec potest responderi, quod in Officio Conceptionis non approbatur Conceptio corporalis Immaculata; sed sanctificatio in vtero post animationem: nam Sixtus IV. qui approbavit Officium, declaravit animum suum, tum in extravaganti *Grave nimis*, quæ est in corpore raris, tum in approbando Officio Leonardi Noguerosis, in

cu-

*De certitudine mysterij Concept.* 113

Cuius collecta dicitur, *Virginem per merita Christi præ-  
vissa præservatam ab omni macula.* Præterea in Responso-  
rio 9. dicitur *Sancta Conceptio*; At non est Conceptio, ni-  
si in illo primo instanti, in quo infusa est anima corpo-  
ri, in quo cœpit esse in rerum natura persona integra  
Virginis; alioqui si accipiatur Conceptio pro Sanctifi-  
catione post animationem, etiam Hieremias, & Joannes  
Baptista dicentur concepti sine peccato originali. De-  
nique communis sensus fidelium est celebrari Concep-  
tionem solius Virginis: quia ipsa sola vere concepta est  
*sine peccato originali.* Hæc Magnus Bellarminus, cuius  
ratio, & autoritas persuasit Paulo V. ut faveret Imma-  
culatæ Conceptioni, prohibendo ne opposita sententiæ  
publicè prædicari, vel defendi posset.

166 Quintò: quia, ut inquit Augustinus Epist. 118.  
*Extremæ dementiæ est disputare, vel dubitare an sit facien-  
dum, quod totum per orbem frequentat Ecclesia*; At Ecclesia  
totum per orbem frequentat festum Immaculatæ Con-  
ceptionis: ergo extremæ dementiæ erit dubitare an sit  
celebranda Conceptio naturalis B. Virginis. Tum sic:  
At ex doctrina Patrum exhibenda sect. sequenti cer-  
tum est nihil ab Ecclesia, nisi Sanctum, seu ratione San-  
ctitatis celebrari: ergo extremæ dementiæ esset dubita-  
re nunc, an Conceptio B. Virginis fuerit Sancta; sed id,  
de quo non potest prudenter dubitari: est saltem mora-  
liter certum: ergo saltem moraliter certum est Con-  
ceptionem B. Virginis fuisse Immaculatam. Ultimò:  
quia adversarij ipsi supponunt sententiam piam fore  
moraliter certam, si semel certum foret obiectum pri-  
marij cultus festi Conceptionis esse Sanctitatem B.  
Virginis in primo instanti animationis; at hoc secun-  
dum post Bullam Alexandri VII. est saltem moraliter  
certum, ut constat ex sect. 9. ergo & illud primum. As-  
sumptum maioris constat ex Gravina tom. 2. Præscrip-

tionum Catholicarum q. 6. art. 3. (excusso ann. 1630.)  
vbi inquit: *Proferant nobis adversarij absoluto cultu tan-*  
*quam primarium obiectum, B. Virginem proponi Im-*  
*maculatam, & præservatam, & iam causa finita erit.*

## §. III.

*Tertium caput probandi, ex eo quod opposita  
sententia nullo solido Scripturæ funda-  
mento nitatur.*

167 **E**Ximius Doctor loco allegato initio huius  
sectionis expressè affirmat, *contrariam sen-*  
*sentiam nullo firmo, vel satis apparenti fundamento iam ni-*  
*ti.* Quare hoc dictum sit, constat primò: quia nullum ha-  
bet solidum in Scriptura fundamentum. Id autem inde  
evincitur quod ratio, qua vbiq; D. Thomas ex Scrip-  
tura probat B. Virginem conceptam fuisse in peccato  
originali solum persuadet, contraxisse in propria perso-  
na debitum; non autem ipsam maculam formalem pec-  
cati originalis consistentem in privatione gratiæ debitæ  
inesse parvulis, & quæ in primo instanti animationis  
omnibus infunderetur, si Adamus non peccasset. Id con-  
stat: quia S. Thomas in compendio Theologiæ cap.  
224. & 3. p. q. 27. art. 2. in fine corporis, & ad 3. &  
passim alibi hanc rationem reddit: *Quia si in peccato*  
*originali concepta non fuisset, non indigeret per Christum ve-*  
*dimi, & sic non esset Christus universalis hominum Redemp-*  
*tor.* Et in 4. dist. 43. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3. &  
quæst. 1. de malo art. 6. ob hanc rationem ait, *erroneum*  
*esse dicere quod aliquis sine peccato originali concipiatur.* Et  
1. 2. quæst. 81. art. 3. initio corporis ob eandem ratio-  
nem asserit, *secundum fidem Catholicam firmiter esse te-*

nen-

nendum, quod omnes homines, præter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt.

168 Hæc autem ratio, si intelligatur de peccato originali, non in radice, & debito; sed in se ipso, est planè falsa, & sine errore nunc defendi non potest: quia hoc ipso D. Thomas diceret, de fide Catholica esse quod B. Virgo concepta fuerit in peccato originali, quod nunc asserere esset error manifestus. Quare Caietanus in Commentario illius articuli tertij dicit, D. Thomam intelligendum esse de peccato originali, vel in se, vel in radice, & debito: *si enim peccatum* (inquit) *originale, vel in actu, vel in necessitate illud habendi, quis non incurreret, non egeret Redemptione, quod hæreticum esset dicere: sed si omnes obnoxij sunt peccato originali, sufficit ad indigentiam Redemptionis: nec enim solum Redemptione eget actualiter captivus; sed etiam obnoxius captivitati, & hoc benè notabis, tu Thomista, ne nimio zelo non secundum scientiam accensus, erronea dicas, quæ erronea non sunt, cum de B. Virginis Conceptione disputas, aut prædicas. Hæc ille. Quod iterum docet 3. p. q. 27. art. 2. §. Ad evidentiam, & prius docuerat opus. de Conceptione cap. 3. idem notat Joannes à Sancto Thoma tom. 1. in 1. p. disp. 2. proœciali art. 2. Et ante ipsos idem docuerat Durandus in 3. dist. 3. quæst. 1. num. 14. quamvis enim censeat B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali; tamen ad salvandam indigentiam Redemptionis, docet, sufficere, quod in radice sua, & ex vi suæ Conceptionis obligata esset ad incurrendum peccatum, nisi fuisset à Deo præservata. Ut enim aiebat Caietanus in illo §. Ad evidentiam, oportet quod habeat peccatum, vel quod sit in procinctu habendi peccatum quisquis indiget salvari.*

169 Ipseque D. Thomas clarissimè agnovit Redemptionem præservativam propriè talem: nam in 3.

dist. 19. art. 2. inquit, *An per passionem Christi à pœna eterna liberati simus? Et affirmativè respondet: Quia Christus pretium solvit suæ satisfactionis, ut à pœna, & à peccato liberemur: ergo sicut ut quis verè, & propriè redimatur à pœna æterna, satis est quod habuerit debitum illam incurrendi, ita ut B. Virgo verè, & propriè redimatur à macula peccati originalis, sufficit quod habuerit debitum illam incurrendi, & quod infallibiliter esset incursum, nisi obmerita Christi infusa fuisset sibi gratia in primo instanti animationis.*

## §. IV.

*Quam validè hanc rationem Divi Thomæ Scotus retorserit!*

170 **C**ardinalis Sphortia in historia Tridentini lib. 7. cap. 7. num. 11. graviter reprehendit, vel imperitiam, vel malitiam Petri suavis asserentis Scotum in hac causa Conceptionis solum asseruisse, potuisse à Deo effici, ut Maria Virgo, vel nunquam peccatum contraheret, vel unico solum momento, vel aliquo tempore spatio. Etsi enim Scotus in 3. dist. 3. quæst. unica, modestiæ causa, non determinaverit dubium, positivè asserendo, B. Virginem præservatam fuisse de facto ab originali peccato; tamen validissimè impugnavit fundamenta, quibus D. Thomas, & D. Bonaventura probaverunt, illam conceptam fuisse in peccato, & auctoritates Scripturæ, & Patrum in contrarium adductas solidè exposuit, clarè ostendens, ex eo quod Christus fuerit perfectissimus omnium hominum Redemptor, minimè deduci quod liberaverit B. Virginem à peccato iam contracto; sed potius deduci quod illam præservaverit ab ipso

ipso contrahendo, & vt inquit Sphortia, non solum solvendis argumentis aduersus immunitatem Virginis ab originali culpa dedit operam; sed etiam studuit pravalidis argumentis huiusmodi sententiam confirmare, & quanquam prius modestiæ causa diseruerit meticulosè, & potius more ad affirmandum propendentis, quam affirmantis; tamen postea dist. 18. quæst. vnica, §. *Hoc visum* fidentissimè asseruit, Deiparam præservatam fuisse à macula originali. Vndè noster Salazar tom. de Conceptione cap. 42. pag. 434. hæc scribit. *Doctor subtilis* Joannes Duns Scotus præcipuus, ac maximus puræ Conceptionis vindex fuit, qui tantam huic doctrinæ sua auctoritate fidem comparavit, quantam nullus alius ante ipsum, ac post ipsum.

171 Quapropter argumentum (inquit Sphortia) quod Aquinatem impulit ad opinandum non posse Virginem à Christo redemptam affirmari, nisi prius peccato fuisset mancipata, validè retorsit Scotus affirmans, quinimo non fuisse potius Christum perfectum Redemptorem, nisi aliquem perfectè, id est, ab omni pœna redemisset: & quoniam Dei gratia, vel per momentum carere gravissima pœna est, par fuisse aliquem à Christo ita redimi, vt ne momento quidem temporis Deo esset invisus: vndè vt Christi merita ipsi tribuant nomen, ac laudem perfectissimi reconciliatoris, & absolutissimi benefici, oportuit vt aliquem liberaret à culpa, odioque Divino quocunque temporis momento, ac demum ab omni labe, quæ animam inficit ex Adami delicto: postremò retortum argumentum his verbis claudit. *Magis igitur* indiguit Maria Redemptione, quàm quicumque alius: quia tantò magis indiguit Redemptione, quantò maius bonum sibi conferebatur per Redemptionem: cum igitur maius bonum sit innocentia perfecta, quam post lapsum culpa remissa, maius bonum

sibi

sibi conferebatur præservando ipsam ab originali, quam si postea fuisset purgata. Et postea §. si autem explicans quo pacto B. Virgo indiguerit Redemptione, inquit. Per istud patet, quod Maria maximè indiguit Christo, vt Redemptore: ipsa enim contraxisset peccatum originale ex ratione propagationis communis, nisi fuisset præven- ta per gratiam Mediatoris, & sicut alij indiguerunt Chri- sto, vt per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum, ita illa magis indiguit Mediatore præve- niente, ne esset ab ipsa aliquando contrahendum, vt re ipsa contraheret.

17. Vndè constat propositionem illam ad Roma- nos 3. v. 23. Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, & ad Rom. 5. v. 22. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes ho- mines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, intelli- gendas esse de peccato originali in radice, & in debito, vel si loquantur de macula formali peccati, intelligen- das esse de lege communi, & seclusso privilegio: quia alioquin esset de fide B. Virginem contraxisse macu- lam originalem. Et sanè in Scripturis sacris familiares sunt propositiones vniversales, quæ necessario aliquam exceptionem patiuntur, vt illæ quæ significant omnes homines in adulta ætate aliquod peccatum actuale committere; cum tamen certum sit B. Virginem actua- liter nunquam peccasse. Sic David Psalm. 115. Omnis homo mendax, sic Milevitanum Canon. 7. & 8. definit, Neminem esse sine peccato. Itaque vt constat ex Triden- tino Sess. 5. loquutiones illæ vniversales non comprehendunt B. Virginem.

)(§)(

)(§)(

s. v.

§. V.

*Infertur ex dictis, inefficacem quoque esse rationem, qua D. Bonaventura probavit B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali.*

173 **S**eraphicus Doctor in 3. dist. 3. art. 1. q. 2. inde probavit B. Virginem non fuisse Sanctificatam ante peccati originalis contractionem: quia existimavit, hoc non potuisse aliter fieri, quam infundendo gratiam animæ B. Virginis in instanti creationis pro priori ad infusionem in corpus, per quam præservaretur, ne à carne infecta inficeretur: existimavit enim fieri non potuisse, vt infunderetur carni infectæ, quin in illo signo infusionis contraheret maculam: unde quia putavit, & merito, prius esse quod anima infundatur corpori, quam quod sanctificetur, intulit, non fuisse sanctificatam ante peccati originalis contractionem: *Esse (inquit) natura præcedit esse gratiæ, vel tempore, vel natura. & propterea dicit Augustinus, quod prius est nasci, quam renasci, sicut prius est esse, quam bene esse. Prius est ergo animam infundi carni, quam gratiam sibi infundi: si ergo caro illa infecta fuit, ex sua infectione nata erat animam originali culpa inficere: necesse est ergo ponere, quod antea fuerat culpa originalis, quam sanctificatio.*

174 Ex dictis, inquam, deduco hoc argumentum esse inefficax: quia solum probat B. Virginem contraxisse debitum originalis maculæ in propria persona, & in illo primo signo habuisse fomitem habitualem concupiscentiæ: quia fomitem non contraxit anima quatenus est à Deo creata; sed quatenus infunditur carni in-

fectæ, nec posset verificari B. Virginem in propria persona indiguiffe Redemptione, si vel caro illa tempore antecedente ad infusionem animæ fuisset purificata à vitio naturæ, vel anima fuisset sanctificata pro priori ad infusionem in corpus; non probat autem B. Virginem contraxisse maculam originalem in illo primo instanti: quia macula hæc pro formali consistit in privatione gratiæ; caro autem infecta vnita animæ, quamvis sit nata inducere privationem gratiæ; non tamen necessario inducit, vt patet ex instanti Baptismi, in quo caro infecta non inducit privationem gratiæ. Ratio est, quia licet caro illa, quia descendit ex Adamo (qui meruit quantum est ex se, vt omnes eius filij per seminalem propagationem ab ipso derivati privarentur gratia pro primo instanti suæ Conceptionis, imò pro semper in pœnam peccati ipsius) fundaret debitum privationis gratiæ; non tamen necessario inducebat illam privationem: quia merita Christi prævaluerunt contra demeritum Adami, & quamvis, attento peccato Adami, B. Virgo, quia in lumbis eius contenta fuit, quando ille peccauit, privanda foret gratia; tamen ob merita Christi ornata est gratia à primo instanti, & nunquam in propria persona fuit digna privari gratia: quia Adamus solum potuit mereri, vt ipsa cum reliquis privaretur gratia, nisi Christus pro illa offerret sua merita. Vndè cum sic Christus obtulerit, nunquam absolutè fuit digna privari gratia; sed Christus fuit dignus vt non privaretur, & de facto obtinuit, vt illi pro primo instanti infunderetur gratia copiosissima.

) (X) (



§. VI.

Caput quartum idem probandi: quia sententia contraria in Patribus Ecclesia sufficiens fundamentum non habet, ubi demente Augustini.

175 **I**D patet ex dictis fact. præced. ubi probauimus communem sententiam Patrum stare pro Immaculata Virginis Conceptione, in cuius favorem communiter expendunt illud Canticor. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Secundo patet: quia inde solum ex Patribus probari potest, B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali, quia Patres communiter dicunt solum Christum sine peccato esse; id autem rem non probat: quia pariter dicunt, omnes præter Christum cum peccato natos esse; cum tamen certum sit B. Virgine n. natam esse sine peccato, quia certum prorsus est fuisse sanctificatam in utero matris. Id patet ex Augustino Serm. 73. de tempore: *Solus (inquit) sine peccato est natus, quem sine virili complexu non concupiscentia carnis; sed obedientia genuit mentis.* Secundo: quia Patres vniversaliter loquuntur non solum de peccato originali; sed de actualibus, à quibus certum est B. Virginem fuisse omninò immunem, vt declaratum est in Tridentino Sess. 6. Canon. 23. Assumptum constat ex Augustino libr. 5. contra Iulianum cap. 19. ubi de Christo loquens, inquit: *Profecto enim peccatum etiam maior fecisset; si parvulus habuisset: nam propterea nullus hominum, præter ipsum est qui peccatum non fecerit grandioris ætatis: quia nullus hominum est, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exitu. Qui locus adeò vrgens visus est Gregorio Ariminensi, vt in*

Q

2. sen-

2. sententiar. dist. 31. dixerit, *B. Virginem, sicut habuit originale aliquando, habuisse aliquando actuale, licet nullum mortale.* Vnde vel vtrunque negandum est habuisse Virginem, vel vtrunque concedendum: cum ergo absurdissimum sit asserere eam habuisse aliquando actuale, ita absurdum videtur asserere habuisse originale.

176 Augustinus ergo, & alij Patres disputantes contra Pelagianos, & vnicè intenti expugnando huic errori, propositiones illas vniversales protulerunt, quæ solùm de lege communi, & secluso speciali priuilegio intelligi debent, proculque ab illorum mente absuit in illis comprehendere *B. Virginem*; alioquin etiam de illa dixissent habuisse peccatum actuale veniale, & in peccato originali natam esse, vel loquuntur ex meritis ipsius Conceptionis carnalis, vi cuius contraxit debitum maculæ.


177 Loquatur pro omnibus Augustinus, qui, vt expendit Cardinalis Sfortia in historia Tridentini lib. 7. cap. 7. num. 9. cum desudaret in oppugnanda Pelagianorum hæresi, homines à peccato originali eximentium, & multos etiam à noxijs liberè contractis, eosque in quodam statu incontaminatæ perfectionis collocantium, vbi demonstrauit Augustinus, omnes quidem vtrique peccatorum generi subiaccere; tametsi disputationis æstu feruesceret se planè hac limitatione temperauit cap. 36. de natura, & gratia; *excepta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volumus habere quæstionem: inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum; quia concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Quæ verba intelligenda esse etiam de peccato originali, quod deterius est, quam vllum veniale, videtur planum, tum ex eorum generalitate cum de peccatis (id est, de his omnibus, quæ propriè habent rationem peccati, vt habet etiam originale) nullam prorsus quæstionem

omni

*De certitudine mysterij Concept.* 125

omni ex parte, tum quia iuxta Augustinum libr. 5. contra Iulianum capit. 19. hæc inter se connexa sunt, non peccasse in ætate adulta, & non contraxisse peccatum originale: idem enim agens de Christo sic loquitur: *Profecto peccatum etiam maior fecisset, si parvulus habuisset.*

178 Neque contrarium docuit lib. 5. contra Iulianum cap. 9. ubi inquit: *Restat ut intelligamus, nisi ea excepta (nempe carne Christi) omnem reliquam humanam carnem esse peccati: ibi enim tantum significat, solam carnem Christi non esse carnem peccati, id est, via ordinaria mediante parentum concupiscentia (quæ est peccatum improprie, & sapè in actu generationis etiam proprie) formatam, & conceptam: quo sensu caro B. Virginis, quamvis exempta à peccato originali, est caro peccati: quia nempe B. Virgo ita concepta fuit, ut vi suæ Conceptionis originale esset contractura, nisi speciali priuilegio in primo instanti animationis ab eo fuisset præservata. Idque constat ex ipso Augustino epist. 99. ad medium, ubi de Christo loquens, inquit: *Sumpsit quidem veram carnis substantiam; non tamen peccati carnem: quia non est carnali concupiscentia, sive seminata, sive concepta.* Et in hoc sensu exponit Augustinum ipse Caietanus acerrimus Immaculatæ Conceptionis impugnator: nam 1. 2. q. 81. art. 3. inquit: *Est igitur necessarium secundum Catholicam fidem credere quod omnis vtriusque sexus ab Adam secundum rationem seminalem proveniens ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato originali: & contra Pelagianos dicentes oppositum Augustinus differit: de solo autem Iesu Christo verum est quod ex ipsa sua generatione nulli obnoxius est peccato.**



## §. VII.

*Quintum caput idem probandi: quia sententia minus pia sufficiens suffragium non habet in Divo Bernardo, qui communiter censetur praeceps eius Patronus.*

179 **P**ater Vazquez 3. p. disp. 177. inquit, utrum Beata Virgo in momento Conceptionis per sanctificationem fuerit ab originali peccato praeservata? & momentum Conceptionis appellat primum instans animationis, seu infusionis animae rationalis in corpus: & sic accipiunt Scholastici omnes, & citans n. 5. Patres pro parte negativa, ait Sanctum Bernardum hanc sententiam expressè docere epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, additque illum non cursim eam solum indicare, sed ex professo confirmare, & oppositam refellere. Pro quo notandum est ex Petro de Alva id comprobante publico instrumento in Sole veritatis signo 2. Radio 32. colum. 442. quod Ecclesia, & Canonici Lugdunenses in Gallia ad ann. 1136. 8. Decembris celebrabant festum Conceptionis: ut hoc scivit S. Bernardus, ac rem ad ipsos scripsit epistolam, in qua ipsos reprehendit quod, inconsulta Sede Apostolica, illam festiuitatem admiserint, & ex occasione probat non posse celebrari Conceptionem Virginis, quia Sancta non fuit.

180 Hac de causa communiter citatur D. Bernardus pro sententia minus pia, sed immerito, ut statim probabimus.

) ( § ) (

§. VIII.

§. VIII.

*Ostenditur D. Bernardum, dum asserit Conceptionem Virginis non fuisse Immaculatam, non loqui in sensu Scholasticorum de Conceptione formali personæ per infusionem animæ in corpus; sed de Conceptione materiali fœtus per commixtionem seminum in matrice.*

181 **V**T id probem, suppono quod bifariam sumitur conceptio, & quidem propriè. Primò pro Conceptione materiali, id est, pro termino generationis activæ per commixtionem maris, & fœminæ, seu pro receptione materiæ prolificæ in matrice, seu pro prima formatione fœtus postea animandi. Secundò pro infusione animæ rationalis in corpus iam formatum, & organizatum. Prima dicitur conceptio materialis, secunda conceptio formalis, prima conceptio carnis, secunda Conceptio personæ: quousque enim anima rationalis infunditur corpori, non generatur homo, vt docet D. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. ad 4. prima dicitur conceptio imperfecta, & inchoata; secunda appellatur Conceptio perfecta, & nativitas in vtero ab Henrico Gandavensi, quod lib. 15. q. 13. In prima acceptione frequens est vsus huius nominis in Scriptura, vt quando 2. Reg. 11. de Bersabee dicitur: *Reversa est in domum suam concepto fœtu,* & Genes. 16. de Agar: *At illa concepisse se videns despexit Dominam suam,* & in hoc sensu hoc nomen accepit D. Thomas 3. p. q. 33. art. 1. corpore, dicens, *rationem Conceptionis principaliter consistere in ipsa*  
for-

formatione corporis , & inde probat Conceptionem Christi factam fuisse in instanti per omnipotentiam Dei: quia licet motus localis sanguinis Virginei ad locum generationis non fuerit in instanti, tamen corpus ex materia sanguinis illius formatum est in instanti , & ultimo dispositum, & in eodem instanti creata est anima rationalis, & illi corpori infusa, & vtrunque, nempe anima, & corpus assumptum est à Verbo: *Et per hoc dicitur ipse Filius Dei conceptus, quod aliter dici non posset, nisi vnitum esset corpori in primo instanti, in quo conceptus est.*

182 Hoc supposito dubitatur, de qua Conceptione loquutus sit Bernardus in illa epistola? In hac quæstione mentem mellisui Doctoris mihi assequutus videtur in signis eius filius Illustrissimus Angelus Manrique tom. 1. Annal. Cisterc. ad ann. 1134. vbi latè agit de hac epistola cap. 4. & 5. qui ad eam aperiendam supponit tanquam principium certissimum *Conceptionis nomen, neque in rigore vocis, neque in usu Doctorum illius temporis pro animatione supponi, sed pro seminis prima susceptione, conceptio enim est quasi simul captio, unde concipere mulieres dicuntur cum genitale semen apprehendunt ad foetum faciendum, &c.* Hanc communem Conceptionis acceptionem confirmat ex eodem Bernardo lib. de Anima cap. 2. dicente: *Fit enim in momento Conceptionis de humano semine conceptus, deinde spuma illa coagulata modicum crescendo, caro facta est.* Hoc supposito, subdit. *Sentio igitur mellisuum Doctorem nihil de instanti animationis Virginis, in quo præventam gratia hoc nostro sæculo totius ferè Ecclesiæ sensus clamat, sed paterni susceptione seminis intra maternam vulvam fuisse loquutum, quæ prior, propriorque conceptio est, de qua tunc controuersia non parva fuit. Porro de hac absolutè pronuntiasse, nihil Ecclesiastica festiuitate dignum, nihil sanctificatum continere, quin potius immunditiam.*

183 Hanc fuisse Bernardi mentem, latè, & nervosè ostendunt noster Eusebius in libro exceptionum cap. 18. & eruditissimus Alva in Sole veritatis, Signo 2. Radio 32. à colum. 444. & clarè probatur: nam Bernardus hac ratione inter alias probat Conceptionem B. Virginis non fuisse Sanctam: *Quomodo namque sanctitas sine Spiritu Sancto sanctificante? An Sancto Spiritui societas cum peccato fuit? aut certè peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? nisi fortè quis dicat de Spiritu Sancto eam, & non de viro fuisse conceptam. Sed id hætenus inauditum. Et si licet loqui quod Ecclesia tenet, dico, gloriosam de Spiritu Sancto concepisse; non autem conceptam esse. Quæ verba satis perspicue probant Bernardum non loqui de infusione animæ in corpus; sed de receptione seminis in matrice D. Anæ; alioqui probarent, nec de potentia absoluta potuisse Deum animam B. Virginis sanctificare in primo instanti infusionis in corpus, hoc ipso quod illud conceptum fuerit modo ordinario ex commixtione maris, & foeminæ, quod est apertè absurdum, & à nemine afferendum.*

184 Idque amplius confirmatur ex his, quæ postmodum subiungit: *Nunquid potuit maritalibus osculis, & amplexibus sanctitas admisceri, ut simul concepta esset, & sancta? & rursus: Vnde ergo Conceptioni sanctitas? An dicitur sanctificatione præventa, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit & conceptus, quemadmodum sanctificata iam in viro dicitur, ut sanctus consequeretur & ortus; sed non valuit antè sancta esse, quàm esse, siquidem non erat antequam conciperetur? An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi Conceptioni immiscuit, ut simul sanctificata fuerit, & concepta? Neque hoc quidem admittit ratio. Hæc & alia expendens Alva, colum. 448. sic infert. Concluditur ergo ex his, quod Bernardus in illa epistola solùm intendebat probare generationem carnalem Ioachimi, & Anæ, licèt fuisset Mariæ, vel per ordinem ad Mariam, nec fuisset*

ſe ſanctam, nec feſtivate dignam, utpote factam operatione viri cum concupiſcentia, libidine, ac ſorde, ac forte etiam cum peccato. Sed ex hoc nihil concluditur, nec probatur contra animationem Mariæ, & Conceptionem animationis (de qua nunc agimus) diſtante ab illa carnali per quadraginta, vel octoginta dies, ubi iam non erat vir, coitus, concupiſcentia, ſordes, libido, aut peccatum; ſed ſola omnipotentis Dei virtus, ſapientia infinita, amor æternus Patris, Filij, ac Spiritus Sancti formantes ſuam filiam, matrem, ac Sponſam, atque fabricantem Civitatem illam ſanctam, novam, & arcam teſtamenti.

185 Et in hoc ſenſu acceperunt mentem Bernardi Theologi antiqui qui poſt tempora Bernardi Theologiam Scholaſticam Pariſijs tradidère, vel in alijs Academicis: omnes enim inquirent, an B. Virgo ſanctificata fuerit ante animationem? & quæſtionem reſolvunt negativè, & probant præcipuè autoritate Bernardi. Sic Magnus Albertus, qui florebat ann. 1265. & fuit D. Thomæ Magiſter, & obiit ſex annis poſt Angelicum Doctorem, nempe anno 1280. in 3. diſt. 3. art. 4. inquirent, An caro B. Virginis ſanctificata fuerit ante animationem? & ſolvit quæſtionem his verbis. *Dicimus quod Beata Virgo non fuit ſanctificata ante animationem, & qui dicunt oppoſitum eſt hæreſis damnata à B. Bernardo in epiſtola ad Lugdunenſes, & Magiſtris omnibus Pariſienſibus.* Et poſteà art. 5. in quo inquirent, an poſt animationem, & ante natiuitatem ex utero fuerit ſanctificata? quamvis innuat B. Virginem non in ipſo inſtanti animationis; ſed poſtmodum fuiſſe ſanctificatam, non citat pro hac ſententia D. Bernardum: ſic enim ait: *Dicendum quod ante natiuitatem ex utero ſanctificata fuit, ſed quo die, vel qua hora, neſcire quenkam hominem, niſi per revelationem, niſi quod probabilius eſt, quod citò poſt animationem conferatur, quam longè expectetur.*

186 Similiter Alexander de Ales S. Bonaventuræ,  
& S. Thomæ Præceptor, qui obiit ann. 1245. 3. p. Sum-  
mæ, quæst. 9. membro 2. agit de sanctificatione B. Vir-  
ginis, & in 1. artic. inquit, *An B. Virgo ante suam Con-  
ceptionem sanctificata fuerit?* Et respondet quòd, quia B.  
Virgo ante sui Conceptionem in parentibus fuit per  
naturam, quæ natura sanctificata non est, ob id nec in  
illis sanctificari potuit. Et in responsione ad primum,  
hæc habet: *Dicendum quòd est sanctitas nature, & perso-  
næ. Licet ergo radix sit sancta, quantum ad personam; non  
tamen ramus est sanctus; sed radix B. Virginis, id est, paren-  
tes eius non potuerunt sanctificari quantum ad naturam,  
sed quantum ad personam. Cum ergo natura in parentibus sit  
radix ipsa, à qua procedit per generationem, cum illa non  
potuerit sanctificari, nec B. Virgo in illa radice.* In 2. artic.  
inquit, *An in ipsa Conceptione sanctificari potuerit?* Et res-  
pondet, quòd cum Conceptio sequatur ad coitum, ad quem,  
quantumvis sanctum, natura moveat, secundum inordinatio-  
nem fomitis, nec in ipsa Conceptione sanctificari potuit B.  
Virgo. Et hoc confirmat in fine illius articuli authorita-  
te Bernardi dicentis: *Quomodo peccatum non fuit, ubi li-  
bido non defuit?* In tertio articulo inquit, *an post Con-  
ceptionem ante animæ infusionem B. Virgo fuerit san-  
ctificata?* Et respondet negativè, & reddit rationem, ex  
eo, quòd, cum corpus humanum, non nisi ex vnione ad  
animam possibilitatem habeat ad gloriam, & per con-  
sequens ad gratiam, quæ ad eam ordinatur, nequit ve-  
rificari quòd Beata Virgo fuerit sanctificata ante ani-  
mationem. Denique in 4. articulo inquit, *an B. Vir-  
go post infusionem animæ sanctificata fuerit in utero  
matris suæ?* Et respondet, ambigendum non esse B.  
Virginem ante suam Nativitatem post infusionem ani-  
mæ sanctificatam fuisse. Non inquit autem, an sancti-  
ficata fuerit in instanti infusionis, & quamvis verificari

R

pos-

possent eius verba de sanctificatione post infusionem animæ posterioritate solius naturæ; tamen videtur innuere sanctificationem hanc fuisse posteriorem tempore animatione. Postea tamen disertè defendit B. Virginem præservatam fuisse à macula originali, vt ostendit Alva in Sole veritatis, Signo 2. Radio 35. colum. 476. Ex dictis manifestè constat Alexandrum Alensem nomine Conceptionis non intellexisse animationem Virginis, seu infusionem animæ rationalis in corpus, vt omnes Scholastici modo intelligunt in hac controversia, sed solum intellexisse formationem fœtus ante animationem, & in hoc duntaxat sensu pronuntiasse Mariam non fuisse Sanctam in sua Conceptione, & pro hac sententia de Conceptione materiali allegasse authoritatem Sancti Bernardi.

187 Id ipsum constat ex Divo Bonaventura, qui in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 1. inquit, An B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem? Et respondet negativè, & conclusionem probat authoritate, & rationibus D. Bernardi in illa epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, & postmodum quæst. 2. inquit, *An B. Virgo sanctificata fuerit ante peccati originalis contractionem?* Et partem negativam vt probabiliorē sectatur, & tamen pro hac conclusione, quæ loquitur de sanctificatione ipsius Virginis postquam exitit quoad corpus, & animam, & in qua resolvit animam Virginis prius contraxisse maculam peccati, quàm fuerit sanctificata, minimè citat D. Bernardum: Ergo constâtissimum est antiquos Scholasticos sensisse D. Bernardum fuisse loquutum de Conceptione materiali solius carnis, quando dixit, Conceptionem non fuisse sanctam; eiusque doctrina in illo sensu non opponitur sententiæ piæ, cuius assertores communiter fatentur B. Virginem ex vi suæ Conceptionis, quatenus scilicet concepta fuit per commixtionem

maris, & foeminae cum aliquo vitio naturae, nimirum mediante concupiscentia, licet sine vitio personali sanctissimorum parentum, contracturam fuisse maculam originalem, nisi ob merita Christi praeventa fuisset gratia sanctificante in primo instanti infusionis animae in corpus; & in hoc sensu potest dici primam eius Conceptionem fuisse in peccato: vt enim inquit Bellarminus lib. 4. de amissione gratiae, & statu peccati cap. 16. vers. *Deinde*, dicuntur in peccato concepti omnes Adae filij, cum primum foetus in vtero matris existere incipit, quamvis informis, & inanimis; tametsi enim peccatum non possit esse, nisi in anima rationali, & foetus confirmari incipiat longo tempore ante animationem; tamen, quia tunc reuera incipit homo existere ratione vnus suae partis (vnde dicuntur filij in vteris matrum novem mensibus gestari 2. Machabaeor. 7.) & pars illa ex corrupta natura originem habet, & vitiata recte nominari potest, atque ei ex vi suae generationis debetur, vt cum primum animam rationalem sortita fuerit, inde existat homo peccator, & irae divinae filius. Propterea non immerito dicuntur homines tunc primum in iniquitatibus generari. Explicat hoc multis verbis S. Anselmus in libro de conceptu virginali, & peccato originali cap. 7. & de hac prima conceptione exponit illud Psalmi 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Denique dicuntur homines concipi in peccato, cum animae corporibus inspirantur: tunc enim primum incipiunt proprie, & re ipsa esse homines, & habere voluntatem originali iustitia denudatam, a Deo averfam, & deformem. Haec tenus Bellarminus.

188 Vnde patet sententiam D. Bernardi asserentis primam Conceptionem Virginis fuisse in peccato, non opponi sententiae pia: quia per primam Conceptionem in peccato solum intellexit debitum, & necessitatem

incurrendi maculam originalem in primo instanti animationis, quod debitam vi suæ Conceptionis contraxit Virgo iuxta communem sententiam: vt enim inquit Anselmus lib. de conceptu virginali, & peccato originali cap. 7. *Ab ipso semine, & ipsa Conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, vt, cum habeat animam rationalem, habeat peccati immunditiam.* Debitum tamen illud, & necessitas, licet sit causa sufficiens ad inducendam maculam, & infallibiliter inductura, nisi impediatur; non est tamen causa necessariò inducens: quia potest impediari à Deo per infusionem gratiæ in primo instanti animationis, & sic contigit in Virgine: quia ob merita Christi Maria in primo instanti præuenta est gratia sanctificante, & sic, quamvis contraxerit debitum peccati originalis ex vi Conceptionis; maculam tamen ipsam non contraxit, & ita maximè indiguit Redemptore, vt subtiliter, & solidè disputat Scotus in 3. dist. 3. quæst. vnica, §. *Si autem. Ipsa enim contraxisset peccatum originale ex ratione propagationis communis, nisi fuisset præuenta per gratiam mediatoris, & sicut alij indiguerunt Christo, vt per eius meritum remitteretur eis peccatum iam contractum, ita illa magis indiguit mediatore præueniente peccatum, ne esset ab ipsa aliquando contrahendum, & ne ipsa contraheret.*



§. IX.

*Qua ratione inductus fuit S. Bernardus ad  
iudicandum Canonicos Lugdunenses per Fe-  
stum Conceptionis celebrare Conceptionem  
primam & materialem B. Virginis, &  
illos hac de causa repre-  
hendendos?*

189 **M**anifestum videtur S. Bernardum in illa  
epistola supposuisse Canonicos Lugdu-  
nenses celebrasse festum Conceptionis materialis Vir-  
ginis, quando foetus virgineus conceptus est in utero  
Annæ ex commixtione Sanctorum coniugum, & prop-  
terea illos reprehendisse: si enim iudicaret, illos solum  
celebrare infusionem animæ in corpus, & per solemnita-  
tatem testari B. Virginem in primo instanti animatio-  
nis ornatam fuisse gratia sanctificante, quamvis Con-  
ceptio eius materialis fuerit quodammodo immunda,  
immerito illos reprehendisset, nec eius argumenta ali-  
cuius essent roboris. Vnde ergo hanc persuasionem  
induit?

190 Petrus de Alva in Sole veritatis, Signo 2. Ra-  
dio 32. colum. 442. affirmat, ex illa nova festivitate  
Conceptionis exortam fuisse inter fideles tam doctos,  
quam ignorantes, quandam maximam æquivocatio-  
nem, quæ fuit controversiæ indissolubilis nodus: æqui-  
vocationem autem talem fuisse: Ex vna, inquit, parte  
videbant, quod illa festivitas celebrabatur sub titulo  
Conceptionis Virginis Mariæ, & ex altera cernebant,  
quod hoc fiebat die 8. Decembris, & his duobus sup-  
po-

positis, sic discurrebant: omnis infans ad sui formationem in utero matris à die, & hora, qua effuso semine recipitur in vulva matris, vsque ad diem, & horam Nativitatis ipsius, defluunt novem menses integri regulariter, & perfecti. Quare Ecclesia Sancto Spiritu illustrata, quæ celebrat Nativitatem Domini nostri Jesu Christi die 25. Decembris, festivat eius Incarnationem die 25. Martij: quia tunc à Virgine Maria administrata est materia absque viri opere virtute Altissimi, in illo instanti infusa anima, & unio hypostatica facta: & idem videtur sentire de Joanne, qui cum natus fuisset die 24. Junij, die 24. Septembris celebrabant Græci eius annuntiationem, & inter Latinas Ecclesia Tornacensis, ut constat ex illius Breviarijs, imò & in Calendarijs antiquis Ecclesiæ Romanæ existerat etiam hæc festivitas de Conceptione Joannis die 24. Decembris. Unde discurrebant sic: si à prima generatione fœtus vsque ad Nativitatem illius debemus computare novem menses, & B. Maria fuit nata octavo die Septembris, & Lugdunenses celebrabant Conceptionem eius die 8. Decembris, consequenter, & necessario videntur celebrare eius generationem carnalem inter patrem, & matrem: & hoc constat: quia alias non celebrarent hanc festivitatem die 8. Decembris, sed post quadraginta, vel octoginta dies, quando Maria fuit animata, vel sanctificata: ergo signum est, quod solum celebrant die 8. Decembris, quod die illa contigit, scilicet Conceptionem carnalem: ergo errant Lugdunenses in celebratione huius festivitatis: quia Conceptio illa nec est celebranda, nec potest celebrari: tunc enim nec erat Maria, nec illa materia capax sanctitatis, seu sanctificationis. Hactenus Alva.

¶ 191 Quæ ratio confirmatur: nam ut docent Hypocrates, & Galenus apud P. Hurtado. disp. 2. de gene-

nc-


neratione. Fœtus à primo die suæ Conceptionis materialis gestatur novem mensibus in vtero matris, & hi non incipiunt computari à die animationis; sed ab ipso die generationis, quando fœmina in matrice recipit materiam, ex qua formatur fœtus: cognoscitur enim fœminas concepisse ex defectu menstrui, qui defectus contingit ante animationem fœtus.

192. Hæc ergo ratio persuadere potuit Bernardo Canonicos Lugdunenses celebrantes Conceptionem Virginis celebrare Conceptionem materiale. Sed dubium est, an in hac existimatione deceptus fuerit D. Bernardus? Et quod deceptus fuerit, & Canonici illi non celebraverint diem Conceptionis materialis; sed diem Conceptionis formalis, seu animationis, inde suadetur, quòd Canonici illi hanc solemnitatem acceperunt ex Anglia, ubi cœpit introduci ann. 1065. in Monasterio Beccensi, ex revelatione facta Venerabili Helvino, vel Helino Abbati, vt ex Baronio, Polydoro Virgilio, & alijs comprobatur Armamentarium Seraphicum in indice Chronologico. Nam, vt narrat S. Anselmus, qui illi Monasterio post Helvinum præfuit, in epistola ad Angliæ Episcopos, quam scripsit postquam creatus est Archiepiscopus Cantuariensis (fuit autem creatus ann. 1092.) Helvino medio in mari iæva tempestate cum socijs alijs periclitanti, & cum lachrymis à Deo remedium postulanti apparuit Sanctus quidam Pontificali infula decoratus, & Venerabilem Abbatem his verbis compellavit: *Vis periculum maris evadere? Vis in patrium tuam sanus redire? &c. Promitte Deo, & mihi quòd diem Conceptionis, & creationis matris Domini nostri Iesu Christi solemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis, & cum Venerabilis Abbas interrogasset, quo die festum hoc celebrandum esset? Responsum est, quod 8. Decembris, & cum iterum rogasset, quod Officium dicen-*  
dum.

dum foret? Responsum est, quòd Officium Nativitatis, mutato duntaxat nomine Nativitatis, in nomen Conceptionis: his dictis ille disparuit; & dicto citiùs sedata tempestate, Abbas incolumis concito flatu applicuit litoribus Anglicanis, & quæ viderat, & audierat, quibus potuit notificavit; statuit autem diem festum in Becensi Cœnobio celebrari, & ipse quandiù vixit devotus obsequiis celebravit. Hoc relato miraculo, hortatur S. Anselmus Episcopus Angliæ ad hoc festum celebrandum, & ipse Officium Ecclesiasticum disposuit, & in tertia vigilia, seu nocturno totam historiam huius miraculi in tribus lectionibus distribuit. Adducit hoc Officium Armamentarium Seraphicum in Regesto à colum. 3. ad octavam.

193 Hinc arguitur: nam Lugdunenses id celebrabant, quod Angli; hi autem illum diem celebrabant, quòd Deus iussit per os illius Sancti apparentis Helvino celebrari, iste autem fuit *dies Conceptionis, & creationis B. Virginis*; planum autem est diem creationis Virginis appellari diem illum, in quo anima illius creata est, & corpori infusa: cum enim corpus non creatur, sed generetur, Beata Virgo non dicitur creata, nisi ratione animæ, quæ creatur: ergo celebrabant diem creationis animæ, & infusionis in corpus.

194 Postea tamen seorsim disputabimus, An Conceptio formalis, seu infusio animæ in corpus, quam celebrat Ecclesia octavo Decembris, eo die contigerit.



§. X.

*Sextum caput probandi, quia sententia opposita non habet in D. Thoma, & Scholasticis antiquis suffragium, ut modo dicatur absolutè probabilis.*

195 **A**Nte probationem suppono sententiam asserentem B. Virginem conceptam fuisse in peccato, fuisse tempore D. Thomæ communem in Schola Parisiensi, & consequenter tunc absolutè probabilem. Suppositio constat manifestè ex D. Bonaventura in 3. dist. 3. art. 1. q. 2. §. Respondeo, ubi inquit: *Omnes fere illud tenent quod B. Virgo habuit originale, & initio illius, §. inquit: Quidam dicere volunt, in anima gloriose Virginis gratiam sanctificationis prevenisse maculam peccati originalis, quæ est ipsissima sententia pia, quam ibi explicat Seraphicus Doctor, & eam deserit, oppositamque ibi sectatur, quam sub his terminis Virginis conceptæ in peccato originali sequutus est D. Thomas in 3. dist. 3. q. 7. art. 1. §. Ad primam questionem, & §. Ad secundam questionem, & in 4. dist. 43. q. 1. art. 4. quæstiuncul. 1. ad 3. & quodlibet. 6. num. 7. & in scripto ad Anibaldum lib. 3. dist. 3. q. vnica, §. 1. corpore, & 3. p. q. 27. art. 1. ad 3. & art. 2. corpore, & clariùs ad 4. & alibi sæpè: eandem sequutus est Alexander Alensis 3. p. q. 9. membr. 2. art. 4. Magnus Albertus in 3. dist. 3. art. 5. Cur autem illa opinio tunc fuerit communis, prima causa fuit: quia Doctores illi eam existimabant magis conformem menti Ecclesiæ Romanæ, quæ noluerat eò vsque admittere festum Conceptionis, licèt illud toleraret in Ecclesijs quibusdam particularibus, per Angliam, Galliam, &*

S

alias

alias Prouincias, vt constat ex Sancto Doctore 3. p. q. 27. art. 2. ad tertium, nec hoc festum admittit intra ducentos annos post, nimirum vsque ad annum 1476. in quo Sixtus IV. hoc festum in Ecclesiam Roma nam primus inuexit.

196 Secunda causa fuit, quòd Mauricius Episcopus Parisiensis (vt testatur P. Eusebius in lib. exceptionum cap. 19.) ann. 1175. ductus autoritate D. Bernardi in epistola ad Lugdunenses, promulgauit decretum (cuius mentionem facit Altisiodorensis lib. 3. summæ tract. 1. cap. 3.) præcipiendo, ne in vniuersitate Parisiensi defenderetur Conceptio Virginis sine peccato originali; verumtamen æquivocationem passus videtur P. Eusebius: nam Guilielmus Altisiodorensis Episcopus sæcularis, & Doctor Parisiensis, qui vixit ad annum 1220. de quo latè P. Labbe fol. 403. lib. 3. suæ summæ cap. 3. ita scribit: *Mauricius Episcopus Parisiensis prohibuit, ne festum Conceptionis B. Virginis celebraretur in Ecclesia Parisiensi.* Itaque prohibitio illa non fuit contra sententiam piam; sed contra festum Conceptionis.

197 Tertia causa fuit: quia, vt testatur P. Salazar de Conceptione cap. 42. pag. 434. eo tempore Doctores, & Magistri Parisienses censurauerant opinionem piam, quæ prohibitio durauit quousque Scotus ob ingenij acumen iam satis orbi notus a Religione Seraphica evocatus est Oxonio Parisios ad defendendam Immaculatam Virginis Conceptionem coram legatis Apostolicis, & tota Parisiensi Academia, vbi ita foeliciter, & strenuè pro sententia pia pugnavit, vt eam persuaserit Parisiensibus, & inde cognomentum Doctoris Subtilis sit consequutus, vt narrat Vvadingus in suis annotationibus, seu Annalibus tom. 3. ad annum 1304. & 1308. & in vita Scoti præfixa 1. tomo operum ipsius editionis nouissimæ, & Illustrissimus Samaniego in eadem vita lib. 1. cap. 9.

Qua-

Quare Schola Parisiensis ita post Scotum tenet sententiam piam, vt ante annum 1346. Theologica facultas illius almae Academiae serio decreuerit, ne opposita publicè in Scholis legi posset, vt testatur Bachonius in 3. dist. 3. q. 4. art. 3. qui circa praescriptum annum obiit è vivis. Et postea ann. 1497. legem statuit, vt nullus deinceps lauream, & gradum Doctoris, vel Magistri capesseret, quin prius Immaculatam Virginis Conceptionem à se acerrimè defendendam iureiurando promississet, vt narrat Spondanus tom. 2. annalium, ad eum annum, num. 8. Eademque facultas solemnè festo Conceptionis quotannis celebrando se voto adstrinxit. Tam celeriter autem post Scotum pia sententia crevit, vt tempore Nicolai de Lyra, qui paullò post Scotum floruit, & anno 1349. obiit (obierat Scotus ann. 1308.) iam esset aequè communis ac contraria, vt constat ex hoc Authore in expositione illorum verborum: *Spiritus sanctus superueniet in te*, & ann. 1439. in quo Concilium Basileense Sess. 39. sententiam piam penè definiuit, iam illa erat opinio communis totius fere orbis Christiani.

198 Ideo autem Mauricius Episcopus prohibuit festum Conceptionis, & Schola Parisiensis ea tempestate voluit, ne in suis gymnasijs legeretur sententia pia: quia, cum viderent Conceptionem celebrari die 8. Decembris, & ab illa die vsque ad octavam Septembris novem solum menses numerentur, qui regulariter transire debent à die Conceptionis materialis foetus ad diem nativitatis ex utero; arbitrabantur, idem esse colere eo die Conceptionem Virginis, ac colere tanquam Sanctam generationem carnalem eius. Hoc sanè D. Bernardus existimauit, dum tam acriter probauit Conceptionem Virginis non fuisse Sanctam: *Quia inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptui immiscere non potuit; nec peccatū deesse potuit, vbi libido non defuit*, vt vidimus supra.

Et ideo antiqui Scholastici, vt probarent Conceptionem Virginis non fuisse Sanctam, probabant Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem: quia nomine Cōceptionis intelligebant formationem foetus in utero. Id patet: nam Magnus Albertus in 3. dist. 3. art. 4. inquirat, *An caro B. Virginis sanctificata fuerit ante animationem?* & respondet: *Dicimus quòd B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem, & qui docent oppositum est heresis damnata à Bernardo in epistola ad Lugdunenses, & Magistris omnibus Parisiensibus.*

199 Tota igitur antiquorum Scholasticorum cura fuit probare B. Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem: vnde Alensis loco supra citato, in quo agit de sanctificatione Virginis in primo instanti, inquirat, *An B. Virgo ante suam Conceptionem sanctificata fuerit?* & respondet negativè: *Quia B. Virgo ante suam Conceptionem in parentibus fuit per naturam, quæ natura sanctificata non est, ob id neque in illis sanctificari potuit. Quare ibi ad 1. docet radicem B. Virginis Sanctam fuisse quoad personam; non autem quoad naturam; quia nimirum: Parentes eius non potuerunt sanctificari quantum ad naturam; sed quantum ad personam: vnde quamvis essent Sancti, per generationem derivarunt in prolem carnem peccati vitiatam, & infectam, & cui annexus esset fomes concupiscentiæ. In secundo inquirat, *An in sua Conceptione sanctificari potuerit?* ad quod respondet: *Quod, cum Conceptio sequatur ad coitum, ad quem, quantumvis Sanctum, natura moueat secundum inordinationem fomitis, neque in ipsa Conceptione sanctificari potuit B. Virgo. Et in huius rei confirmationem allegat dictum illud Bernardi in ea epistola: Quomodo peccatum non fuit, ubi libido non defuit?* In tertio inquirat, *An post Conceptionem, ante animæ infusionem, B. Virgo fuerit sanctificata?* & respondet negativè. In 4. & vltimo inquirat, *An B. Virgo fuerit sanctificata post infusionem animæ?* & respondet affirmativè.*

200 Similiter D. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. in 3. argumento, ex eo, quòd B. Virgo in sua Conceptione fuerit Sancta, infert fuisse sanctificatâ ante animationem, sic enim arguit : *Non celebratur festum, nisi de aliquo sancto; sed quidam celebrant festum Conceptionis B. Virginis: ergo videtur quòd in ipsa sua Conceptione fuerit sancta, & ita quod ante animationem fuerit sanctificata.* Constat ergo propterea antiquos docuisse B. Virginem non fuisse sanctam in sua Conceptione, quia non fuit sanctificata ante animationem, ac proinde Conceptionem distinxisse ab animatione. Nec vllus eorum directè inquisiuit, an B. Virgo sanctificata fuerit in instanti animationis, vt modo inquirunt omnes Theologi accipientes post Scotum Conceptionem pro animatione, & patet totam ipsorum curam fuisse ostendere Conceptionem materialem Virginis non fuisse sanctam, ac proinde non posse celebrari festum Conceptionis.

201 His suppositis, facilè erit probare sententiam rigidam non habere suffragium in D. Thoma, & Scholasticis antiquis: primò, quia ex eo, quòd eorum sententia tunc fuerit probabilis, minimè deduci potest nunc esse probabilem, quando sententia pia ita euecta est. Secundò, quia dum asseruerunt B. Virginem non fuisse sanctam in sua Conceptione, non loquuti sunt in eo sensu, in quo post Scotum loquuntur Scholastici, nimirum de Conceptione formali personæ, sumpta pro infusione animæ in corpus. Stat autem B. Virginem non fuisse sanctam in sua Conceptione materiali; & tamen fuisse sanctam in sua Conceptione formali, seu animatione: quia Conceptio materialis, cum sit opus naturæ corruptæ, & infectæ, necessariò communicat foetui, quantum est ex se, peccatum in radice, & illum reddit obnoxium culpæ, pro instanti animationis; at Conceptio formalis, hoc non obstante potuit esse sancta: quia, quamvis B. Virgo in primo instan-

instanti animationis in primo signo habuerit debitum peccati, & quandam necessitatem incurrendi maculam formalem; tamen Deus attendens magis ad merita Christi, quàm ad infectionem illius carnis, quæ secum habebat fomitem concupiscentiæ habituales, gratiam infudit in posteriori signo, & sic B. Virgo, licet contraxerit debitum maculæ; non tamen maculam ipsam.

202 Tertiò, suffragium habere non potest sententia rigida in illis Scholasticis, quamvis sapientia, & sanctitate insignibus: quia vt apertè ostendit P. Eusebius in libro exceptionum cap. 19. & 20. & in dissertationibus epistolicis epist. 6. Alensis, S. Bonaventura, & Albertus Magnus postea mutarunt sententiam, & pro Immaculata Conceptione scripserunt; quod etiam probant Agidius, & Salazar: imò Ioannes Vitalis Doctor Parisiensis, & alij viri graues, apud Petrum de Alva in suo nodo indissolubili, funiculo 1. pag. 5. & 14. testantur se vidisse librum retractationum D. Thomæ, in quo scilicet ad imitationem Augustini opiniones aliquas, & dicta retractauit, & inter has opinionem de Conceptione Virginis in peccato originali. Noster Eusebius in libro exceptionum cap. 27. pag. 498. loquens de Ioanne Vitali Cardinali, qui floruit ann. 1312. inquit: *Ioannes Vitalis tractatu de Conceptione refert se vidisse librum retractationum Sancti Thomæ de eo quod dixerat in 3. sententiarum contra Conceptionem Matris Dei.* Sed quidquid de hoc sit, certum est D. Thomam, si modò viveret, totis viribus amplexurum sententiam piam, vt rectè probat insignis Thomista Ioannes à Sancto Thoma tom. 1. in 1. p. disp. 2. proœmiali art. 2. pag. 229. *Si enim* (inquit) *dixit non esse totaliter reprobendam celebrationem festi Conceptionis, quia Ecclesia Romana illud tolerabat; cùm modò Romana Ecclesia non solùm toleret; sed etiam positivè præcipiat celebrari tale festum, illudque magnis fauoribus pro-*

prosequatur; loquendo in vi doctrinæ D. Thomæ oportet vice versa de his sententijs censere, & D. Thomas sic censeret: nam si ex sola tolerantia Romanæ Ecclesiæ illa festivitas tunc non erat spernenda; ex positivo præcepto, & favore, quânto magis diceret venerandam, præsertim, cùm ex hoc probet B. Virginem sine peccato fuisse natam: quia eius Nativitas celebratur ab Ecclesia: ergo pariter probaret B. Virginem sine peccato fuisse conceptam, si videret eius Conceptionem celebrari ab Ecclesia.

203. Prætereà cùm S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 2. dicat: *Quòd maximam auctoritatem habet Ecclesiæ consuetudo, quæ in omnibus est imitanda: quia & ipsa Catholicorum Doctorum doctrina ab Ecclesia auctoritatem habet: unde magis est standum auctoritati Ecclesiæ, quàm Augustini, vel Hieronymi.* Cùm hoc, inquam, dicat, evidens est ex mente D. Thomæ magis standum esse auctoritati Ecclesiæ celebrantis Conceptionem vt sanctam, quàm auctoritati eiusdem D. Thomæ, & antiquorum Scholasticorum, qui, antequam hoc festum celebraretur in Ecclesia Romana, dixerunt B. Virginem non fuisse sanctam in sua Conceptione. Vltimò cùm causæ, ob quas Scholastici antiqui sectati sunt sententiam rigidam iam omnes evanuerint, & oppositæ nunc subsistant, concluditur quòd, si modò viverent, suffragium ferrent pro sententia pia. Vnde non effet obsequium verum D. Thomæ nunc sentire ob ipsius auctoritatem B. Virginem conceptam fuisse in peccato, nec iste cultus illi placet, vt ipsemet Sanctus apparens Venerabili Virgini Marinæ de Escobar, dixit, appellans Sanctissimam Conceptionem B. Virginis, & significari voluit Religiosis sui ordinis, prout scribitur 1. p. vitæ huius præclaræ Virginis lib. 4. cap. 30. §. 1.

204. Vnde inferes quàm inconsideratè, ne ampliùs dicam, Caietanus in opusculo de Conceptione cap. 4. in sine redarguens hanc responsionem, nimirum, quòd, si

nunc

nunc S. Thomas viveret, diceret oppositum eius, quod olim tradidit, protulit sequentia verba: *Hanc ego glossam (inquit) ita veram putaverim, quemadmodum verum puto quod, si Christus nunc in terris concionaretur, mutaret doctrinam fidei suæ, ut conformaret se populis.* Quam censuram mereatur hoc pronuntiatum, alijs relinquo, & ex dictis concludo, auctoritatem antiquorum Scholasticorum non posse nunc reddere probabilem sententiam rigidam: quod si hoc verum est, à fortiori ei probabilitatem conciliare non poterunt posteriores Scriptores, videlicet, Capreolus, Caietanus, Ferrara, & alij: quamvis enim gravissimi sint in se considerati; tamen si comparentur cum ingenti multitudine illustrissimorum Doctorum, Pontificum Romanorum, & Patrum, qui pro sententia Immaculata pugnant, & conferantur cum auctoritate Ecclesiæ celebrantis festum Conceptionis, nequeunt suam sententiam reddere absolutè probabilem. Ut enim inquit Cardinalis Sfortia in historia Tridentini, lib. 7. cap. 7. num. 11. *Ea librorum copia pro sententia pia edita est, quæ ad instruendam Bibliothecam abundè foret.* Et ut testatur Petrus Alva in nodo indissolubili editionis Bruxelensis pag. 119. *Authores formaliter, & veraciter subsistentes contra Conceptionem Immaculatam solùm 28. attamen propria sententia cum omni veritate, & legalitate inveniuntur sex mille.* Et quamvis Paulus Gyraldus pro sententia rigida citet 37. quorum plerique vel falsò citantur, vel importunè, quis est hic numerus, ut comparari possit cum auctoritate nostræ sententiæ, pro qua militant omnes Academiæ orbis Christiani, omnesque Religiosæ familiæ (vna excepta) præsertim Franciscana, & Societas Iesu, quæ ad defendendam Immaculatam Conceptionem destinatæ à Deo specialiter sunt. Excepta, inquam vna, Religiosissima Prædicatorum familia, quæ postquam iuravit in verba D. Thomæ, sententiam rigidam, quam genuinam S.

Do-

De certitudine mysterij Concept. 145

Doctoris existimabat, communiter sequuta est vsque ad tempus Alexandri VII. posteaque Religiosè filet, quamvis ardentissimo zelo multi, gravissimique Scriptorum Dominicani sententiam piam sectati sunt, vt ostendit P. Eusebius in libro exceptionum cap. 23. & 24. inter quos enumerat Sanctum Vincentium Ferrerium, Sanctum Ludovicum Beltranum, & Sanctum Raymundum de Peñafort, eorumque testimonia adducit, & cap. 33. ex Martyrologio Ordinis Prædicatorum vulgato anno 1254. tribus videlicet annis supra triginta post obitum S. Dominici, festum Conceptionis exprimitur tanquam festum Ordinis in hunc modum: *Octauo Decembris Conceptio B. Mariæ Virginis, festum duplex; & ex Breuarijs venerandæ antiquitatis ostendit Ordinem Sancti Dominici ex præscripto Sanctissimi Patriarchæ per multos annos coluisse Virginis Conceptionem vt Immaculatam. Et quidem Officium Noguerosis approbatum à Sixto IV. ann. 1477. & Officium Bernardini de Bustos approbatum ab eodem ann. 1480. & Ægidius Lusitanus in opere de Conceptione, pag. 201. num. 65. alijque graves Scriptorum affirmant, Sanctum Dominicum in tractatu de Corpore Christi, quem contra Albigenes scripsit, hanc protulisse sententiam: Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cuius terra, id est, mater Virgo nunquam fuit maledicta. Præterea Maior in 3. dist. 3. q. 1. asserit Ordinem Prædicatorum paucis ab hinc annis se dedisse opinioni de Conceptione maculata. Floruit autem hic Author ann. 1500.*

(S)

T

SECT

## S E C T. XV.

*An, & quo sensu opinio rigida possit nunc dici probabilis, vel opinio? Vbi ostenditur illam esse nunc absolute improbabilem.*

205 **P**Ræter dicta sect. 11. §. 1. de certitudine morali sententiæ piæ, hoc in speciali nunc examinandum est. Albertinus de agnoscendis assertionibus, quæst. 17. (vt refert Ægidius lib. 3. quæst. 2. art. vnico, num. 21.) dixit, esse scandalosam malesonantem, & temerariam assertionem, quæ affirmaret B. Virginem contraxisse peccatum originale. Narratque Ægidius hanc Albertini assertionem fuisse accusatam apud integerrimos Sacræ Inquisitionis Iudices, & ab eis fuisse toleratam. Præterea Cordova lib. 1. quæstionarij, quæst. 44. in 8. confirmation. conclusionis 6. pag. 369. refert, post Constitutionem Sixti IV. Vniuersitatem Parisiensem defendere immunitatem Deiparæ à peccato, non vt opinionem; sed vt sententiam ita veram vt oppositam damnet tanquam falsam, impiam, piarum aurium offensivam, & retractivam à devotione fidelium. Authores omnes affirmantes sententiam piam esse moraliter certam, hoc ipso affirmant oppositam non esse absolute probabilem: quia nequit esse absolute probabile oppositum eius, quod est moraliter certum. Hos autem Authores dedimus sect. 11. initio; omnes etiam, qui dicunt sententiæ piæ, nec physicè, nec methaphysicè posse subesse falsum, quos cito sect. 12. idem à fortiori tenent.

206 Solus mihi Pater Ferdinandus Salazar videtur sibi ipsi contrarius: nam cap. 43. §. 2. hæc habet: *Si consideremus statum, quem vtraque sententia tam pia, quam quæ ipsi aduersatur, in Ecclesia hodie habent, & hæcenus habuerunt ex declarationibus à Summis Pontificibus editis, secundum quas de illis iudicare, & censuras suas Theologi ferre possunt, neque de pia sententia maius aliquid quam probabilioris, & tutioris opinionis nomen enuntiari posse puto, neque oppositam opinioni nomine defraudari posse autumo.*

207 Nihilominus paulò post, sententiam piam dicit esse moraliter certam, vt vidimus sect. 11. initio. Quòd si ei obijcias, omnem certitudinem excludere opinionem: ergo dum certitudo piæ sententiæ adstruitur, opposita opinionis nomine defraudatur. Respondet: illud, quod est certum certitudine euentiæ naturalis, vel certitudine supernaturali fidei, excludere ab opposito nomen opinionis; non tamen illud, quod solum est certum certitudine *moralis*; de hoc enim, ait, solum excludere opinionem *moralem*. Verùm hæc obscura sunt, & non videntur ex animo dicta; sed solum excogitata ad non exacerbandos animos eorum, qui oppositam sententiam tenebant: nam hoc ipso quod aliqua sententia sit moraliter certa, talibus nititur fundamentis, vt eorum comparatione fundamenta oppositæ partis exigua sint, & leuia; non potest autem dici absolutè probabilis opinio, cuius fundamenta leuia sunt, & exigua, comparatione ad fundamenta sententiæ oppositæ.

208 Adde, hunc Authorem eodem cap. 43. §. 4. asserere, *Considerato presenti statu, quem habet sententia pia, probabiliter dici posse, ita esse veram, vt non possit à parte rei esse falsa.* Idque probat eo §. 4. his verbis: *Quia ex dictis §. 1. liquidò constat, Pontifices Summos*

per institutionem festi, approbationem Officij, & alia in puræ Conceptionis favorem, hæctenus declarasse, ac definiisse piam sententiam esse probabiliorem, atque tutiorem; sed Pontifex declarans opinionem aliquam esse magis probabilem, circa veritatem illius errare nequit, neque fieri potest, vt, quod ipse probabilius esse decrevit, falsum sit à parte rei: ergo per dictam declarationem, & definitionem maioris probabilitatis consequenter effectum est, vt pia sententia ita vera sit hodie, vt illi falsitas *nullo modo subesse possit*. Ita ad verbum ille, qui minorem huius argumenti ibi latè probat ex eo, quòd, vbi à Romano Pontifice definitum est, aliquam sententiam esse probabiliorem, omnes, & singuli fideles, si prudenter se gerere velint, possunt (imò debent) eius veritati assentiri, seu illam vt veram amplecti: ex duabus enim opinionibus contradictorijs illa debet vt vera acceptari, quæ certò probabilior est: vnde, si posset contingere, vt foret falsa sententia, quæ à Romana Ecclesia declarata est probabilior; contingere posset, vt tota Ecclesia erraret circa aliquam veritatem, amplectendo vt verum dogma falsum.

209 Hoc supposito, contra hunc Authorem sic argumentor: Per te sententia pia ita est vera, vt ei falsitas, nec physicè, nec metaphysicè subesse possit: ergo sententia opposita ita est falsa, vt nec physicè, nec metaphysicè veritas ei subesse possit: idque tu ita iudicas: ergo iudicas sententiam oppositam non esse probabilem: nequit enim esse probabilis opinio apud aliquem illa, de qua ipse iudicat non posse illi nec physicè, neque metaphysicè subesse verum: ergo tibi ipsi contradicis, dum ex vna parte asseris sententiam rigidam esse absolutè probabilem, & ex alia iudicas ita esse falsam, vt neque physicè, neque metaphysicè veritas ei subesse possit.

210 Affero ergo opinionem rigidam esse nunc absolutè improbabilem. Nam opinio improbabilis est, quæ caret autoritate sufficiente ad eam persuadendum, nec habet fundamentum, quod prudenter eam possit persuadere: atqui opinio rigida caret nunc ea autoritate; nec habet fundamentum, quo possit prudenter persuaderi: ergo, &c. Minor constat ex dictis sect. 11. nam prisca Doctores, qui olim illi favere, nunc non sunt Doctores pro ea; sed contra eam, vt vidimus ibi §. 5. cum Joanne à Sancto Thoma id expressè affirmante de S. Thoma tom. 1. in 1. p. disp. 2. à n. 2. pag. 229. & docuit S. Ludovicus Beltran, prout testatur Fr. Vincentius Justinianus Ordinis Prædicatorum, eiusdem Sancti contemporaneus, & valdè familiaris, & in Dominicana Familia vir summæ autoritatis, in additionibus ad historiam eiusdem Sancti Ludovici, cap. ultimo, & in tractatu de Immaculata Virginis Conceptione, vbi testatur Sanctum Ludovicum ad eò firmiter semper adhæsisse sententiæ piæ de Immaculata Virginis Conceptione, vt sæpius dixerit, *omnes antiquos Doctores, qui oppositam sententiam probaverunt, suam opinionem absque dubio mutatueros, & nostræ adhesuros, si hoc nostro tempore vixissent.* Obijt autem S. Ludovicus ann. 1581. Quid diceret si vidisset Constitutiones Pauli V. Gregorij XV. & Alexandri VII. in favorem Immaculatæ Conceptionis editas? Et quàm verum fuerit hoc Sancti Ludovici pronuntiatum, patet; quia illi ipsi, qui sententiam rigidam tunc tenuerunt, vel pro illa citantur, expressè docuerunt, non esse negandam sententiam, in quam tota iam inclinat Ecclesia, & concedendam esse sanctitatem, quam Ecclesia Romana celebrat, vt patet ex Divo Bernardo Epist. 154. ad Canonicos Lugdunenses, vbi de Ecclesia Romana loquens, inquit: *Ego verò quod ab illa accepi securus & teneo, & trado, quod*

non scrupulosius, fateor, admiserim. Accepi ab Ecclesia illum diem summa veneratione colendum, quo assumpta de seculo nequam, coelis quoque inuulit celeberrimorum festa grandiorum. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter haberi festiuum, atque Sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens in vtero eam accepisse, vt sancta prodiret. Et iterum: Non fallitur sancta Ecclesia, sanctum reputans Natiuitatis eius diem. Quid diceret nunc Bernardus, quando tota Ecclesia Conceptionem vt Immaculatam, & Sanctam celebrat? Sanè si nunc viveret, diceret se deceptum, dum existimavit ab Ecclesijs particularibus suo tempore celebrari Conceptionem primam materialem Virginis, cum videret, ab Ecclesia Romana nunc non hanc Conceptionem; sed Conceptionem formalem ipsius personæ per infusionem animæ celebrari, & hoc festum accepisse ab Ecclesijs particularibus? Tantam sanè mellissius Doctor habuit erga Romanam Ecclesiam reverentiam, vt postquam in illa Epistola latè probauerat, non posse celebrari Conceptionem Virginis (nimirum carnalem, & materialem) sic nihilominus concluderet Epistolam: *Que autem dixi absque præiudicio sanè dicta sint sanius sapientis; Romane præsertim Ecclesie authoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, que eiusmodi sunt vniuersa, reseruo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.*

211 At obijcies: opposita sententia est illustrium virorum: ergo non est improbabilitatis accusanda: probatur consequentia: quia Aristoteles probabile dixit, quod videtur pluribus, aut sapientibus. Distinguo antecedens, est illustrium virorum pro statu præsentis, & in his circumstantijs, nego; aliter, concedo antecedens, & nego consequentiam. Nam neque D. Bernardus, nec D. Thom as, nec D. Bonaventura, neque Albertus Mag-

nus,

nus, neque vllus ex antiquis Scholasticis, aut Doctõribus, vel Patribus docuisset B. Virginem cõceptam fuisse in peccato originali, si vidisset Conceptionem Virginis celebrari ab Ecclesia; sed omnes in hoc statu rerum docuissent oppositum. Neque vllus est Theologus, qui post Bullam Gregorij XV. editam ann. 1622. ausus sit affirmare, & docere B. Virginem fuisse conceptam in peccato, & multò minùs id docere poterit post Bullam Alexandri VII. editam ann. 1661. Nec probabilis potest dici illa opinio, cui Ecclesia perpetuum silentium imposuit, nulla relicta libertate eam defendendi, vel de illa loquendi, vel aliquid in favorem eius allegandi, quod non legitimè dissolvatur, & dissipetur, vt patet ex novissima Bulla Alexandri VII. qui non solùm renovavit prohibitiones, & censuras impositas à suis prædecessoribus; sed aliàs adiunxit ijs verbis: *Sub censuris, & pœnis in eisdem constitutionibus contentis observari mandamus, & insuper omnes, & singulos, qui præfatas constitutiones, seu decreta ita pergent interpretari, vt favorem per illas dictæ sententiæ, seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquomodo directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam definibilitatis eius examinandæ, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi; denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea asserendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & per præsentem subijcimus, etiam concionandi, publicè legendi,*

di, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscunque electionibus eo ipso, absque alia declaratione privatos esse volumus, nec non ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque alia declaratione.

212 Sanè in Tribunalibus, vbi alteri ex partibus silentium imponitur, hoc ipso declaratur, illam non habere ius probabile: idque præcipuè cernitur in Ecclesia, quæ, vt certum ab incerto, & verum à falso discernat, vel loqui, vel silere iubet, vt videre est in Concilio Lateranensi primo, in disputatione, quam Sanctus Maximus Marcyr habuit cum Oratoribus Imperatoris Constantis coram Martino I. Summo Pontifice, ibi enim secret. 5. Canon. 17. in qua sic loquutus est: *Silentium verborum, interemptio est verborum: ergo sermo, qui loquutione non prædicatur, nullatenus est.* Qui sensus conformis est Hieremiæ: nam Propheta, vt ostenderet miseriam, ad quam populus Israëliticus redactus fuerat, cap. 8. vers. 14. sic loquitur: *Sileamus ibi* (nempè in Civitate) *quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis*, vbi Pagninus, & Vatablus ex Hebræo, pro *Sileamus* reddunt *Moriamur, & pereamus*, quasi idem sit perpetuo silentio addici, ac mori, atque perire: ergo opinio rigida, quæ nullatenus loqui iam valet, iam mortua iacet, & nomen opinionis non meretur. Quare P. Granadus tract. de Conceptione, disp. 3. cap. 30. num. 13. dicit duplicem esse opinionis acceptionem: *Primò enim* (inquit) *appellatur aliquid* „ *opinio, quia non desunt aliqui sapientes, & docti,* „ *quibus videri possit, & soleat doctrina probabilis, &* „ *in hoc sensu fatemur, opinionem esse, quòd B. Ma-* „ *ria sit concepta in originali.* Deinde appellatur ali- „ *quid opinio, quia generaliter, aut in plurimum cen-* „ *se-*

setur opinio probabilis, eò quòd non sint pro parte  
contraria vrgentissima fundamenta, quæ multos con-  
vincant, aut omnino ad illam affirmandam trahant,  
& in hoc sensu negamus esse opinionem, quòd B. Ma-  
ria sit concepta in originali: & quoniam hæc est ma-  
gis propria opinionis acceptio, non censeo, absolutè  
appellandam esse opinionem; sed sententiam, & pla-  
citum *aliquorum*. Hinc num. 14. respondet, *Doctrinam*,  
quæ docet B. Mariam conceptam in originali, fuisse  
quidem opinionem olim, & modò etiam esse compa-  
ratione paucorum; nunc verò non esse absolutè opi-  
nionem, & id sufficere vt vera sit nostra conclusio af-  
firmans, modò censerì posse moraliter evidentem  
sententiam, quæ docet præsertationem *B. Mariae*. Hæc  
scripsit Granadus ann. 1617. Postea autem editæ sunt  
Constitutiones Gregorij XV. & Alexandri VII. ex qui-  
bus sumitur argumentum irrefragabile pro sententia  
pia.

213 Vnde sic argumentor: opinio probabilis est  
illa, quæ nititur fundamento gravi, & non habet aliquod  
argumentum convincens contra se. Vt autem explicat  
P. Terillus tom. de probabilitate, q. 10. assert. 1. *Vt opinio  
sit probabilis in comparatione probabilioris, debet niti motivo  
valde alliciente intellectum ad assensum sui, vt verè, & me-  
rito censeatur motivum magnum, & aptum movere virum  
prudemem, etiam quando totum motivum oppositum represen-  
tatur.* Quod etiam docet P. Esparza in Appendice ad  
questionem de vsu licito opinionum probabilium, art.  
112. atqui opinio severa, quamvis habeat fundamen-  
ta, quæ secundum se inspecta gravia videri possunt; non  
possunt tamen gravia, & magna censerì comparativè  
ad fundamenta sententiæ piæ, quæ sunt evidenter ma-  
iora, & vrgentiora cum magno excessu: vt enim inquit  
P. Granadus eo cap. 30. num. 11. *Si quis libero, & vacuo*  
V  
anti-

animo expendat fundamenta sententiæ piæ, comperiet immensam quodammodò esse magnitudinem, & maximam multitudinem motivorum efficacium pro Immaculata Conceptione hisce nostris temporibus; & quæ obijciuntur, ita perspicuè solvuntur, vt exigui momenti reputari debeant, si cum illis motivis conferantur: & quamvis autoritas doctissimorum Theologorum, qui olim oppositum docuerunt, magna sit, & qui modò id docent sint Religione, & doctrina clarissimi; nihilominus in tanta veritatis luce, quæ nunc in Ecclesia Immaculatam Conceptionem celebrante clarescit, exigua *scintilla sumt*. Hæc ille suo tempore. Quid modò diceret, vbi nullus est, qui oppositum asserat, aut impunè docere permittatur?

214. Præterea opinio illa rigida habet contra se modò argumentum convincens, & cui nulla possit adhiberi solutio verè probabilis: nempe illud, quod sumitur ex publico, & solemni cultu exhibito ab Ecclesia Romana Conceptioni Immaculatæ: nam certum est Ecclesiam colere cultu Ecclesiastico solemni, & publico Conceptionem naturalem B. Virginis; certum rursus est ex Bulla Alexandri VII. hunc cultum exhibere Conceptioni naturali B. Virginis secundum sententiam piam, id est, ob sanctitatem, quam sententia pia agnoscit coniunctam fuisse cum illa Conceptione; sicut colit Nativitatem naturalem eiusdem Virginis ob sanctitatem, quam communis sensus fidelium agnoscit in B. Virgine ante Nativitatem ex utero. Rursus, omnino certum est Ecclesiam in hoc cultu exhibendo non falli, ac proinde omnino certum est, Conceptionem naturalem Virginis esse dignam cultu, & aliunde per consequentiam necessariam videtur inferri ex communi doctrina Patrum, Conceptionem naturalem non esse dignam cultu, nisi ratione sanctitatis, quæ animam B. Vir-

ginis ornaverit in primo instanti suæ infusionis in corpus; nam neque potest coli, nisi ratione sanctitatis, neque sufficit sanctitas postea futura, vt sit digna cultu Conceptio illa, si ante fuit immunda.

215 At dices: prohibitum esse per Bullas Pontificum censurare opinionem illam rigidam. Respondeo tamen primò, *Improbabile* non esse, censuram Theologicam, vt docet Pater Puente-Hurtado 2. 2. disp. 81. §. 46. neque P. Suarez, disp. 19. de fide, sect. 2. vbi explicat censuras Theologicas, meminit huius censuræ. Et P. Hurtado, vbi nuper, ait, *temerarium*, esse suavissimum genus censuræ Theologicæ; appellant autem Theologi temerariam propositionem assertionem Theologicam, sine gravi fundamento repugnantem communi Patrum, ac Theologorum sensui; ex qua tamen nihil absurdi sequitur in fidem, neque in re, nec in modo loquendi: nam si aliquid mediatè, vel immediatè contineat contra fidem, pertinet ad aliud genus censuræ. Propterea autem hoc genus censuræ est damnabile; quia competenda est licentia contemnendi Patres, atque Doctores in materia Theologica. Cùm enim in Theologia præcipuum argumentum sit autoritas, opponi tantæ authoritati absque fundamento non debet impunè *permitteri*. Et sanè in Indice expurgatorio Inquisitionis Hispanicæ, in regulis generalibus, regula 16. ponuntur omnes censuræ Theologicæ, ob quas expunguntur propositiones: & non sit vlla mentio propositionis *improbabilis*. Et quamvis in materia morum sint aliquæ propositiones rigidæ improbabilis; quia tamen illæ scandalum non generant, non prohibentur ab Inquisitione, sicut prohibentur propositiones improbabiles laxæ, quia sunt scandalosæ.

216 Secundò: quamvis nota *improbabilis* foret censura Theologica, non est prohibitum per Bullas Pon-

tificum appellare improbabilem sententiam rigidam; sed solum est prohibitum appellare illam hæreticam, vel erroneam, vel peccatum mortale, inurendo notam peccati mortalis eis, qui illam tenuerint.

217 At dicis, hoc ipso, quod asseramus illam esse absolutè improbabilem, videmur asserere, esse peccatum mortale. Respondeo negando sequelam: quia non dicimus fundamenta sententiæ piæ ita esse certa, & evidèntia, vt peccatum mortale sit, quod quis internè assensum præbeat sententiæ contrariæ. Quamvis autem Pontifices prohibuerint de peccato mortali censurare sententiam rigidam, non propterea declararunt, non peccare mortaliter tenentes sententiam illam, vt sect. sequenti ostendemus. Deinde cum aliud sit opinionem aliquam esse absolutè probabilem, aliud esse probabilem secundum quid, & respectu aliquorum, quibus fundamentum eius apparet grave; non possumus asserere, Patres Dominicanos peccare mortaliter, si iudicent sententiam rigidam esse veram. Id explicat Pater Aldrete in controversia de Immunitate Deiparæ à peccato originali, disp. 4. sect. 7. num. 8. quia iudicium illud, quo Patres Dominicani affirmant (si tamen modò post Alexandrum VII. sunt aliqui, qui ita affirmant, quod ego sine temeritate aliqua affirmare non possem) B. Virginem conceptam fuisse in peccato, respectu ipsorum est probabile: quia fundamentum, cui ipsi innituntur non apparet ipsis adeò debile, vividè apprehendunt quæ suæ sententiæ favent; & non ita penetrant gravissima fundamenta nostræ sententiæ, & idèò respectu illorum, & secundum quid, illa sententia dicitur probabilis; quia non est digna censura Theologica, nec potest dici temeraria, & nititur fundamento, quod ipsis non adeò apparet exile. Possuntque habere indicia similia alijs, quæ prioribus temporibus dicebantur absolutè pro-

pro-

probabilia. Quibus adiungi potest, opinionem antiquam in re Theologica non privari illo nomine, quoties digna non redditur aliqua censura Theologica, neque temeraria dici potest, præsertim si à Summis Pontificibus adhuc sit concessa libera facultas cuique hoc, aut oppositum opinandi, vt in hac controversia concessit Pius V. & postea Gregorius XV.

S E C T. XVI.

*An sententia pia sit ita certa, vt nec physicè, nec metaphysicè possit illi subesse falsitas?*

§. I.

*Authores affirmantes, ante & post Bullam Alexandri.*

218 **Q**uamvis assertores sententiæ piæ, qui scripserunt antè tempora Alexandri, tantam certitudinem illi communiter negaverint; tamen etiam ante Alexandrum non pauci eam affirmarunt, inter quos Calderon, qui scripsit ann. 1650. cap. 9. suæ Apologiæ pro titulo Immaculatae Conceptionis, num. 14. ait: *Veritas Immaculatae Conceptionis, quamvis de fide non sit, quia nondum Ecclesia illam definivit; tamen postquam Ecclesia illam solemniter profequitur, excessit statum opinionis, estque adeo certa, vt à parte rei non possit esse falsa, quod plerique Theologi satis probabiliter defendunt, & nos libenter amplectimur.* Hanc certitudinem acriter defenderat *Ægi-*

Ægidius ann. 1617. lib. 3. de Conceptione, q. 6. §. 9. Eandem defendit Venerabilis noster Eusebius in Opusculo speciali de sanctitate instituti festi, cuius vnicum assumptum est probare, *ad cultum Ecclesiasticum non sufficere probabilitatem; sed necessariam esse certitudinem obiecti festivitatis instituta in Ecclesia universali, singillatim in festo Immaculatae Conceptionis præcepto à Summis Pontificibus. Ut patet ex titulo ipsius Opusculi, & ex eius Prooemio.*

219 Estque hæc sententia communis inter assertores sententiæ piæ post Bullam Alexandri VII. ut testatur P. Cardenas in sua crisi Theologica, tract. 1. disp. 9. cap. 18. art. 2. num. 265. vbi inquit: *Post Bullam Alexandri VII. quotquot de Conceptione scripserunt ( præter Caramelem, & Murciam) affirmarunt, sententiam piam esse in statu certitudinis, non fidei, sed moralis, physicæ, & metaphysicæ. Inter quos noster Cardinalis Everhardus p. 2. examinis Theologici, vbi 24. argumentis efficaciter probat, sententiam piam, præcipuè post Alexandrum VII. habere gradum infallibilitatis, & certitudinis, quam appellat Theologo-metaphysicam, pro qua explicanda notaverat §. 7. aliam esse veritatem fidei, quæ ita est certa, ut oppositum sit hæreticum; aliam proximam fidei, quæ ita est certa, ut oppositum sit erroneum, hæresique proximum; & quamvis ab Ecclesia excommunicatione non puniatur, neque damnetur ut hæreticum; non tamen permittitur ab aliquo affirmari: aliam dicit esse veritatem consonam fidei, cuius oppositum sit periculosum, & non satis pium in fide. Et veritas (inquit) huius tertie speciei habet quidem certitudinem, cum sit fidei consona; non tamen ita evidenter, ut oppositum simpliciter non toleretur: & inde est ut assertio opposita, quamvis censeatur falsa; ob aliquas tamen iustas circumstantias, simpliciter non prohibeatur,*

tur, sed, servatis conditionibus, permittatur. Hoc autem non satis est, ut talis veritas intra terminos probabilitatis intercludatur: nam cum aliquomodo ad fidem pertineat, ita est certa, ut falsa esse non possit. Ad hunc tertium gradum certitudinis dicit pertinere veritatem sententiæ piæ. Et 4. part. eiusdem examinis Theologici §. 5. asserit, hanc solam propositionem: opinio asserens Virginem in originali Conceptam, adhuc stat in pedibus, id est, adhuc in sua probabilitate subsistit, esse scandalosam. Eandem certitudinem agnoscit in sententia pia P. Mo-  
ya tom. 2. tract. 1. q. 2. §. 2.

§. II.

*Statuitur hæc certitudo, eiusque prima  
probatio ex Patribus.*

220 **E**Go quidem censeo, sententiæ piæ non posse falsitatem subesse nec physicè, nec metaphysicè, non quia Ecclesia directè declaraverit illam esse certam; sed quia permittere Deus non potuit, ut Pontifex Romanus institueret festum solemne Conceptionis à tota Ecclesia celebrandum ex intentione colendi sanctitatem Virginis pro primo instanti animationis, id positivè consulendo, & præcipiendo toti Ecclesiæ, si sententia pia esset falsa. Vnde, licet moti-  
vum instituendi hoc festum in tota Ecclesia non fuerit certitudo aliqua physica, vel metaphysica, quam haberet sententia pia antecedenter ad institutionem festi; sed sola maior probabilitas, quam in illa certò agnovit Pontifex ante institutionem festi; tamen permittere Deus non potuit, ut re ipsa moveretur ex illa sententia apud ipsum longè probabiliori ad introducendum hoc  
fe-

festum, si illa non esset re ipsa vera: sicut licet anteedenter ad Canonizationem Sancti Romanus Pontifex solum habeat certitudinem quandam moralem humanam de decessu in gratia hominis canonizandi, non potuit Deus permittre vt ab illa induceretur ad canonizationem, si illa non foret cum veritate re ipsa coniuncta.

221 Probatur autem nostra sententia: quia Patres Ecclesie pro indubitato habent B. Virginem fuisse sanctam in sua Nativitate, ex eo, quod Ecclesia Romana festum Nativitatis Virginis solemniter celebret; at non minus solemniter celebrat festum Conceptionis; ergo, &c. Maior probatur primo ex S. Thoma 3. p. q. 27. art. 1. in argumento *sed contra*, vbi hæc habet: *Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis; non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto: ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta: fuit ergo in utero sanctificata. Secundo ex Sancto Bonaventura in 3. dist. 3. q. 1. art. 3. in resolutione quæstionis, vbi inquit: Respondeo, quod pro indubitato habet hoc Ecclesia (videlicet quod B. Virgo fuerit in utero sanctificata) & illud ex hoc patet, quod eius Nativitatem tota Ecclesia celebrat, quod non faceret nisi sancta esset. Tertio ex D. Bernardo, Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses dicente: Ortum Virginis didici in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter haberi festivum, atque sanctum firmissimè cum Ecclesia sentiens in utero eam accepisse vt sancta prodiret. Et paullo inferius: Fuit proculdubio & Mater Domini ante sancta quam nata: nec fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans eius Nativitatis diem, & omni anno cum exultatione universe terre votiva celebritate suscipiens. Quarto ex Sancto Ildephonso, lib. de parturitione, & Virginitate Mariæ, qui loquens de Nativitate Virginis, inquit: Enimverò, si non Beata esset, & gloriosa, nequaquam tam festivè celebraretur ubique ab*

vnt-

*De certitudine mysterij Concepti.* 161

*universis; sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesie, quod nullis, quando nata est, subiacuit delictis. Quintò ex Sancto Augustino, Epist. 113. dicente: Ideò Ecclesia obitus, non natales Sanctorum celebrat: quia obitus sunt Sancti, non natales. Præterea, si tanta est auctoritas Ecclesie apud Augustinum, ut in Epistola fundamenti dixerit: Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholice Ecclesie moveret auctoritas, profectò Augustinus indubitatum reputabit, non posse falli Ecclesiam in celebrando tanquam Sanctam Nativitatem, & Conceptionem B. Virginis: ergo ex eo quòd tanquam Sancta celebretur Conceptio à tota Ecclesia, necessariò ex mente Augustini inferitur fuisse Sanctam. Præterea Epist. 118. æquiparans auctoritatem Ecclesie auctoritati Scripturæ, inquit: ut quid horum sit faciendum si Divinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus: similiter si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia: nam & hinc quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insanie est: ergo cum tota Ecclesia celebret Conceptionem Virginis ut Sanctam, dubitari non poterit, an fuerit Sancta, ac proinde omnino certum erit Sanctam fuisse.*

222 At ex hoc ipso argumentum facit contra nos Libellator Romanus libell. 2. num. 17. *Ecclesie Sancte* (inquit) *fixa est, & perpetua consuetudo colendi, non nisi certam, & indubitatam sanctitatem, quod pro comperito habet S. Bernardus, S. Ildephonsus & S. Thomas, qui hac vnica ratione Nativitatem Virginis Sanctam fuisse tradunt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat: nunquam ergo ex Ecclesie consensu dici potest celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatam: hoc enim adhuc est indefinitum, atque aded dubitationi subiectum. Hæc ille. Verùm hoc argumentum fallax est, & nullius momenti. Illud retorqueo: per te Ecclesie Sanctæ*

X

fixa

{

fixa est, & perpetua consuetudo colendi, non nisi certam, & indubitam sanctitatem: at Ecclesia à tempore Sixti IV. celebrat Conceptionem Virginis, vt Sanctam, & Immaculatam, vt latè ostensum est, & constat ex Bulla Alexandri VII. ergo sanctitas Conceptionis certa, & indubitata est. Præterea ineptum est argumentum contentum in illa clausula: *Hoc enim adhuc est indefinitum, atque adeò dubitationi subiectum*; in illa enim continetur hoc argumentum: non est definitum: ergo est dubitationi subiectum: non est definitum: ergo non colitur ab Ecclesia. Hoc argumentum nullum est: nam Ecclesia nunquam definiuit tanquam de fide sanctitatem Nativitatis B. Virginis, nec eius præsentationem in Templo, nec corpoream eius Assumptionem in Cœlum; & tamen hæc omnia solemniter celebrat, & nihil eorum post hanc solemnitatem est dubitationi subiectum: ergo quamvis Ecclesia non definiuit sanctitatem Conceptionis B. Virginis; illam nihilominus celebrare potest, & cultu suo publico certam, & indubitam reddere.

223 Præterea propositio illa distinctione indiget: *Ecclesiæ Sanctæ fixa est, & perpetua consuetudo colendi non nisi certam, & indubitam sanctitatem*, distinguo, quæ certa, & indubitata sit ante cultum ipsum, nego; quæ certa, & indubitata si post cultum solemnem ab Ecclesia Romana exhibitum, concedo. Nam quando Ecclesia instituit festum Assumptionis B. Virginis, non erat certum illam fuisse in corpore assumptam Cœlum; imò adhuc post institutam hanc festivitatem, aliqui dubitabant, vt affirmat P. Eusebius in tractatu de Sanctitate instituti festi, §. 28. &, vt testatur P. Salmeron, disp. 51. in Epist. ad Rom. pag. 627. Hieronymus in Sermone de Assumptione asserere timuit Deiparam in Cœlum corpore assumptam; idque magis desiderio pio esse opinandum censet, quam inconsultè definiendum. At Augustinus

cœli.

*De certitudine mysterij Concept. 165*

foeliciùs id ausus est asseverare, & multis argumentis statuere: ex quo ausu id lucrata est Ecclesia, vt rationibus eius persuasa id crediderit, & cultu suo celebrare obtinuerit, & vt ait Gerson, Homil. 4. in Serm. de Conceptione in I. consideratione: *Nativitas Domine nostrae ordinata fuit per revelationem unius solius foeminae*, ac proinde non erat certa sanctitas Nativitatis Virginis ante institutum festum.

§. III.

*Secunda probatio à rationibus.*

224 **P**Rætereà, quòd nequeat falsum subesse sententiæ piæ, probatur eisdem rationibus, quibus sect. præced. §. 2. ostendimus illam esse saltem moraliter certam: nam rationes illæ pariter probant certitudinem physicam, & metaphysicam. Idemque denuò confirmo primò: quia certum est Sixtum IV. instituisse hoc festum Conceptionis, & ad illud celebrandum indulgentijs, & peccatorum remissionibus invitasse fideles, vt *grates Deo referant de mira Virginis Conceptione*, vt constat ex illis verbis Constitutionis *Cum præexcelsa*, *De ipsius Immaculate Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & instituta proptereà in Dei Ecclesia Missas, & alia Divina officia dicant, & illis intersint: indulgentijs, & peccatorum remissionibus invitare*; idem autem est *grates, & laudes Deo referre de mira Virginis Conceptione, ac de Conceptione sancta, & Immaculata*: non enim Conceptio Virginis alia ratione à Sixto appellatur mira, nisi quia ab ipso censetur sancta, & Immaculata, vt probauimus supra sect. 6. ergo Ecclesia instituit solemne festum Conceptionis, & invitavit

X 2

fide-

fideles ad illud celebrandum, vt grates, & laudes Deo referant de Immaculata Virginis Conceptione. Hinc autem per necessariam consequentiam inferitur, Conceptionem naturalem Virginis fuisse sanctam, atque Immaculatam: quia Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis, nequit instituere festum ad referendas Deo grates, & laudes de opere à Deo non factò, & de beneficio à Deo non communicato.

225 Confirmatur secundò: quia vt ostendimus, disp. 4. nequit Romanus Pontifex errare in decretis morum tangentium vniversam Ecclesiam. At decretum de celebrando solemnì festo Conceptionis est decretum morum, cum ordinetur ad promovendam devotionem erga Beatam Virginem, & venerandam maximam eius prærogativam, & singulare privilegium, exercendosque multos religionis, & pietatis actus: ergo in illo errare non potuit Romanus Pontifex. At errasset, si Conceptio naturalis Virginis Sancta, & Immaculata non fuit: quia colere vt sanctum, & Immaculatum quod sanctum non est, error est: ergo solemnì festo Conceptionis toti Ecclesiæ iniuncto à Romanis Pontificibus, per necessariam consequentiam inferitur, Conceptionem naturalem personæ B. Virginis fuisse sanctam: sicut ergo Ecclesia non potest, nec materialiter errare in rebus fidei definiendis, ita ne materialiter quidem potest à vero aberrare in rebus ad Dei cultum spectantibus, cuiusmodi est festorum institutio, & publica alicuius mysterij celebratio. Quod autem Ecclesia in hoc festo celebret Conceptionem naturalem vt sanctam, seu titulo sanctitatis ipsius Conceptionis, satis probatum est, sect. 6. & post Bullam Alexandri VII. dubitari non potest intentionem Ecclesiæ in hoc festo esse, & semper fuisse, celebrare sanctitatem Virginis in primo instanti infusionis animæ in corpus.

226 Hac de causa Ambrosius Catherinus in disp. pro Immaculata Conceptione ad Patres Concilij Tridentini, part. 1. colum. 102. gravissimè conqueritur de Catholicis hominibus, qui post institutum solemne festum Conceptionis in dubium revocare audebant sanctitatem Virginis in primo instanti, imò & asserere B. Virginem conceptam fuisse in peccato: quia hoc erat virtualiter asserere errare Ecclesiam in celebranda Conceptione: vnde sic in illos gravissimis his verbis invehitur. *Re vera* hic vnus est in fide nostra lapsus gravissimus, & præcipuum periculum, si Romanæ auctoritatem Ecclesiæ sinimus apud nos periclitari: hinc enim, vt eleganter scribit Sanctus Cyprianus, schismata, & hæreses oriuntur, quia vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi, non cogitatur. Quòd si patimur, ò Patres, hanc persuasionem invalescere; & apud nos etiam vigere, qui se maximè Catholicos proferunt, certè (quòd cum dolore dico; dicam tamen, quia veritas est.) Lutheranae sectæ, imò communi omnium Lutheranorum errori perniciosissimè favemus. Nam in hanc petram in omni suo dogmate impingunt, omnia respuentes, quæ ab ipsa fiunt sine verbo Dei, vt aiunt, expresso. Quid, si quis obijciat, illos minùs rationabiliter, quàm nos, in hac parte loqui? Nihil enim non certum admitti volunt in cultu Dei, quod nihil esse arbitrantur etiam ab Ecclesia probatum, nisi fuerit verbo Dei, & in Scripturis expressum, ideoque totam Ecclesiæ faciem deturpant. Vos autem, dum in eis ordinandis, atque instituendis, aberrare Romanam, & universalem Ecclesiam existimatis, ac de facto in hac celebritate aberrare contenditis, incertum nobis omnem Divinum cultum redditis, & nutantem facitis Christianam fidem, quam præcipuè in Divino cultu profitemur, atque protestamur. Minùs autem insipientes erraretis

nul.

f

nullos penitus cultus admittendo, quos Ecclesia instituit absque verbo Dei expresso (vt habet Lutheranum dogma:) quàm, illos admittendo, fateri simul eos posse esse mendaces, vt cuique liceat ad libitum vel admittere, vel negare absque fidei nostræ præiudicio, & scandalo: mavult enim penitus non coli Deus, qui summa est veritas, quàm mendacibus coli cultibus, aut incertis. Hactenus Catherinus, qui zelo armatus, etli verbis amarioribus vsus fuerit, quàm par erat, in suæ Religionis homines; tamen gravissimo hoc argumento, meo iudicio, planè concludit; etli ad hoc vt Ecclesia instituat festum aliquod solemne à tota Ecclesia celebrandum satis sit quòd præcedat opinio valde probabilis, & moraliter certa Romano Pontifici, vi cuius sibi persuadeat rem illam fuisse sanctam; tamen post institutum festum iam reddi certam sanctitatem illam.

227 Argumentor prætereà: certum, & indubitatum est, ab Ecclesia coli solemni cultu Conceptionem naturalem Virginis: quia Gregorius XV. expressè mandavit, vt omnes omnino Ecclesiastici, nullo excepto, hoc festum celebrarent sub titulo, & nomine Conceptionis, & ne vllus deinceps posset celebrare sub titulo sanctificationis: ergo certum omnino est Conceptionem naturalem Virginis esse dignam cultu Ecclesiastico publico, & solemni. Pater consequentia: quia, cum certum sit Romanum Pontificem non posse toti Ecclesiæ præcipere aliquid re ipsa, & ex parte obiecti malum, vt ostendimus disp. 4. impossibile est vt non sit dignum cultu subiectum illud, quod Romanus Pontifex præcipit à tota Ecclesia solemni cultu coli: at præcepit, vt à tota Ecclesia celebraretur Conceptio naturalis B. Virginis solemni & publico cultu: ergo certum est Conceptionem B. Virginis esse dignam solemni, & publico cultu totius Ecclesiæ: Tunc sic: atqui ex doctrina Patrum §. I. adducta constat,

stat, nihil esse dignum publico, & solemnī cultu Ecclesiæ, nisi ratione sanctitatis : ergo certum omnino est Conceptionem naturalem Virginis esse dignam solemnī, & publico Ecclesiæ cultu, ratione sanctitatis : ergo certum omnino est Conceptionem naturalem Virginis fuisse Sanctam, & Immaculatam. Probo hanc consequentiam : quia si Conceptio illa fuisset immunda, & in peccato, non esset digna solemnī, & publico cultu Ecclesiæ, ratione sanctitatis : quod enim Sanctum non fuit, non potest ratione sanctitatis coli.

228 Confirmatur : nequit Romanus Pontifex, vt Ecclesiæ caput, præcipere, vt solemnī, & publico cultu colatur à tota Ecclesia id, quod re ipsa sanctum non fuit pro eo tempore, ad quod refertur cultus ; at Romanus Pontifex, vt Ecclesiæ caput, præcipit, vt solemnī, & publico cultu colatur à tota Ecclesia Conceptio naturalis Virginis, id est, infusio animæ Virginis in eius corpus ; & cultus iste refertur ad illud instans, in quo B. Virgo concepta est, per infusionem animæ in corpus : non enim colitur præcisè persona Virginis ; sed eius Conceptio naturalis perfecta, & completa, quæ fit in instanti creationis animæ rationalis, & infusionis in corpus : ergo Conceptio illa naturalis Virginis Sancta fuit, seu Sancta fuit B. Virgo in primo illo instanti, in quo eius anima creata, & infusa corpori fuit. Cætera constant ; probatur minor : quia nequit Romanus Pontifex, vt Ecclesiæ caput, præcipere, vt solemnī, & publico cultu à tota Ecclesia colatur obitus alicuius hominis, si obitus ille non fuit sanctus ; id est, si homo ille non decessit in gratia, id est, si ornatus non fuit gratia sanctificante. Id patet ex dictis disp. 4. de Canonizatione Sanctorum, & demò confirmatur ; quia, vt inquit P. Arriaga, tom. 5. disp. 9. sect. 5. *Si errare non potest Pontifex mandando toti Ecclesiæ rem iniustam ac si esset iusta, quia Ecclesiam*

fiam induceret ad faciendum id, quod est malum, licet tunc fideles excusarentur per invincibilem conscientiam; proculdubio neque poterit mandare toti Ecclesiae, ut adoret hominem, si hic non est sanctus; sed damnatus, quia etiam est malum adorare hominem damnatum ad inferos; & sicut hic esset ignorantia invincibilis, ita & in priori mandato. Ratio autem, quae probat, non posse solemni cultu, ex mandato Romani Pontificis, coli à tota Ecclesia obitum alicuius hominis, si ille non decessit in gratia, Sanctusque fuit in ultimo instanti vitae, probat univ ersaliter maiorem nostri argumenti, & pariter convincit, non posse coli ex mandato Romani Pontificis à tota Ecclesia Conceptionem Virginis, si B. Virgo Sancta non fuit in primo illo suae animationis instanti.

229. Hinc dices ex Thomasio 2.2. disp. 9. art. 2. *Ut Ecclesia publicè celebret festum de aliquo tanquam de Sancto, sufficere probabilitatem, & moralem certitudinem de sanctitate eius; non verò requiri iudicium, & sententiam Canonicam, ut patet (inquit) manifestè in celebratione festi Conceptionis B. Virginis, quod Ecclesia celebrat; & tamen ipsamet Ecclesia præcipit ne possit villa censura notari opinio asserens fuisse conceptam in peccato originali: ergo ut Ecclesia habeat iudicium practicum certum de celebratione alicuius festi, non requiritur, quòd habeat etiam iudicium speculativum certum de sanctitate; sed sufficit moralis certitudo, & opinio.* Hæc ille. Verùm hæc responsio nihil contra nos concludit, qui fatemur, ut Ecclesia præcipiat quòd publico, & solemni ritu colatur obitus alicuius hominis, non requiri quòd ante hoc præceptum præcedat iudicium Canonicum, seu definitio de eo quòd homo ille decesserit in gratia; sed sufficere iudicium prudens formatum ob motiva humana vrgentissima, & moraliter evidentiã  
de

de sanctitate illius. At hoc constanter asserimus fieri numquam posse, vt hoc Romanus Pontifex toti Ecclesiæ præcipiat, quin iudicium illud speculativum fuerit re ipsa verum: quia vt Romanus Pontifex aliquid præcipiat toti Ecclesiæ, non sufficit dictamen practicum certum fundatum supra iudicium speculativum re ipsa falsum, sicut sufficit inter homines ad formandum iudicium vltimum conscientiæ certum, quòd præcedat iudicium speculativum opinativum certò prudens, conceptum nimirum ob motivum vrgens clarè præminens motivo partis oppositæ: vt enim quis licitè exerceat aliquem contractum satis est, quòd post sufficientem diligentiam adhibitam formet iudicium certò probabile de non existentia legis ob motiva vrgentiora, & sibi probabiliora, quamvis re ipsa illud iudicium sit falsum: hinc enim asserere potest ad formandum iudicium practicum vltimum reflexum de eo quòd hic & nunc liceat sibi exercere illum contractum, vt communiter docent Doctores Catholici contra Jansenistas; etsi ego verissimam censeam, non posse fundari iudicium reflexum certum supra iudicium speculativum conceptum ob motiva antecederent minus verosimilia operanti; tamen verissimum censeo illud primum, in quo & Probabilistæ, & Antiprobabilistæ communiter conveniunt.

230 At alia ratio est de iudicio vltimo practico formando à Romano Pontifice ad aliquid præcipiendum toti Ecclesiæ, vel solemne festum instituendum: hoc enim iudicium nequit fundari supra iudicium speculativum re ipsa falsum: Spiritus enim Sanctus assistens Ecclesiæ nequit permittere, vt Romanus Pontifex re ipsa transeat ad aliquid statuendum, definiendum, vel præcipiendum toti Ecclesiæ in vi opinionis probabilis re ipsa falsæ: vt enim inquit P. Terillus, quamvis acerrimus propugnator vsus liciti opinionis minus probabilis, &

minùs tutæ in tom. de doctrina morum, p. 1. q. 14. num. 11. suo, & Probabilistarum nomine: *omnis Doctor particularis, quantumvis gravis, semper est fallibilis, neque vnquam illi certam, sed solum formidolosam fidem præbemus circa ea, quæ asserit, neque illi tenemur assensum præbere, quamvis eidem assentire possimus; è contrario nos talem Summis Pontificibus, & Concilijs Generalibus autoritatem tribuimus, vt illorum decisio non probabilem; sed certam, & infallibilem reddat eorum sententiam, ex cuius vi præcisè, non per ambages, & principia reflexa; sed directè certificamur, non solum de honestate formali operationis, sed etiam de honestate materiali operis secundum se, quæ omnia immediatè proveniunt ab infallibili autoritate, quam in illis cognoscimus, cui omnes assentire tenentur.* Et iterum numer. 16. *Romani, inquit, Pontificis, & Concilij Generalis autoritas tanta est, ut directè, & per se certificet nos de materiali honestate obiecti secundum se, nosque obliget ad illud credendum, neque vlli liceat rem illam amplius indubium reuocare: vnde, stante illorum definitione, non per ambages, & indirectè consurgimus ad formandam conscientiam certam de honestate formali operationis, cum incertitudine de materiali honestate operis secundum se; sed immediatè, & directè, & præcisè ex vi autoritatis illius formamus certum, & infallibile iudicium de absoluta, & integra bonitate tam operationis, quàm operis.* Hæc Terillus.

231 Quare hoc ipso quod Romanus Pontifex toti Ecclesiæ præcipiat, vt publico cultu veneretur hominem defunctum, hoc ipso suo hoc præcepto reddit certum, & infallibilem decessum eius in gratia; licèt hanc veritatem directè non definiat, prout de facto hoc tempore definit, quando Sanctum aliquem canonizat: per prius enim definit decessisse in gratia, quàm præcipiat, vt publico

blico cultu colatur: sic ergo dum Romanus Pontifex præcipit, vt omnes cultu publico venerentur Conceptionem B. Virginis, hoc suo præcepto exercitè reddit certam sanctitatem Virginis in sua Conceptione formali, seu in primo instanti animationis; veritatem tamen illius sanctificationis directè non definiuit, & cum hoc componitur, quòd prohibeat censurare sententiam contrariam.

S. IV.

*Solvuntur argumenta contraria: & exponitur quomodo comparctur certitudo sententia-  
piæ ad certitudinem de gloria Canonizati, & Beatificati hominis?*

232 **A**T obijcies, ex nostra sententia sequi, quòd tantam habeat nunc certitudinem immunitas Dei paræ à peccato originali, quantam habet sanctitas hominis canonizati: siquidem per nos cultus publicus exhibitus ex præcepto Ecclesiæ Conceptioni naturali Virginis omnino certam reddit sanctitatem Virginis in primo instanti. Responderetur, negando sequelam: quia sanctitas hominis canonizati, non solum est certa certitudine physica, & metaphysica deducta ex principijs certis vi argumenti probabilijs, quòd nobis videtur certum, sed est certa in se ex declaratione, & definitione Ecclesiæ: quia Ecclesia non solum præcipit vt exhibeatur cultus publicus homini, quem Catalogo Sanctorum adscribit; sed etiam præcipit omnibus, vt illum colant tanquam Sanctum, & pro Sancto habeant, & nullo modo permittit, vt aliquis intra se sentiat, illum

hominem non decessisse in gratia, ac proinde directè declarat obitum in gratia illius hominis, ipsiusque finalem sanctitatem definit, ac proinde non solum ipso suo præcepto terminato ad cultum declarat cultum esse sanctum, & laudabilem, sed etiam declarat obiectum illius cultus esse sanctitatem veram illius hominis in ultimo instanti suæ vitæ, & glorificationem in Cœlis.

233 At Ecclesia in festo Conceptionis, licèt dum præcipit, vt colatur Conceptio naturalis B. Virginis, suo præcepto declaret cultum exhibitum Conceptioni naturali esse sanctum, & laudabilem; non tamen declarat sanctitatem Virginis in primo instanti, neque definit B. Virginem fuisse sanctam in illo primo instanti, sed ab hoc abstinet in sua definitione, licèt id ex definitione cultus per necessariam consequentiam deduci censeatur, cum magna probabilitate. Sic licèt dum Ecclesia definit hominem à Deo motum, & excitatum liberè cooperari Deo excitanti, atque vocanti, expressè definiat, hominem operari liberè, cum libertate indifferentiæ, & hinc Schola Societatis asserat, per legitimam consequentiam deduci, hominem non moveri ad operandum liberè per motionem præviam prædeterminantem, cum qua nequeat dissensum componere; tamen hoc non definiuit expressè Ecclesia, cum permittat, vt illustrissima Prædicatorum Familia collocet gratiam efficacem in prædeterminatione, & eius censuram prohibeat.

234 Dices secundò, saltem ex nostra sententia sequi, tam certum esse B. Virginem conceptam fuisse in gratia, quàm certum est obiisse in gratia Sanctos illos, quos Ecclesia non canonizavit, directè definiendo eorum obitum in gratia; sed eorum publicum cultum universali Ecclesia approbante, quo pacto canonizati sunt S. Sylvester, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Gregorius, S. Nicolaus, & alij Sancti antiqui, vt probat P. Azor,

tom,

rom. 2. lib. 5. cap. 6. q. 3. Responderi potest primò, negando hanc sequelam : quia Ecclesia ita præcipit coli Sanctos antiquos, ac præcipit coli modernos; at modernos præcipit coli tanquam Sanctos, ita vt cultus ex præcepto Ecclesiæ terminetur ad obitum illorum, vt Sanctum, & ad illos, vt Sanctos, & obliget ad iudicandum illos esse Sanctos : ergo ita præcipit coli Sanctos antiquos; At quamvis Ecclesia præcipiat celebrari Conceptionem naturalem Virginis ex intentione ; vt colatur sanctitas Conceptionis : ideo enim præcipit celebrari Conceptionem naturalem, quia piè credit, & sibi persuadet fuisse sanctam ; præceptum tamen non terminatur ad Conceptionem, vt sanctam, ita vt obliget ad exhibendum cultum Conceptioni naturali, & ad sentiendum illam fuisse Immaculatam, & Sanctam, ac proinde sanctitas Conceptionis est motivum præcipiendi cultum erga Conceptionem naturalem, & respicitur à præcepto tanquam finis materiæ præceptæ, & tanquam circumstantia reddens Conceptionem ipsam naturalem dignam cultu, & dignam quæ præcipiatur coli ; non tamen respicitur à præcepto tanquam materia præcepta : quia materia præcepta est cultus, vt exhibendus Conceptioni naturali Virginis ob sanctitatem, quam in illa agnoscit sententia pia : quin tale præceptum obliget ad assensum speculativum talis sententiæ ; hoc autem sufficit, vt sententia illa pia nequeat esse falsa.

235 Quare propositiones istæ sunt diversissimæ : *Conceptio Virginis fuit Immaculata : Conceptio Virginis Immaculata est subiectum proportionatum sacri cultus, & digna quæ solemniter celebretur officio.* Prima non est de fide, nec ab Ecclesia adhuc determinata, & qui illam apud se negaret, neque foret hæreticus, neque erraret in fide : dantur tamen argumenta vrgentissima ad probandum illam à parte rei falsam esse non posse. At secunda, vel est

est de fide, vel ita certa, vt sine erroris nota negari non possit: nam Ecclesia Catholica solemnè cultu celebrans Conceptionem Immaculatam, factò ipso definit Conceptionem Immaculatam esse subiectum proportionatum sacri cultus.

236 Daturque alias ingens disparitas inter vnum, & alium cultum: quamvis enim repugnet, vt nunc colatur B. Virgo propter Conceptionem Immaculatam, si illa Immaculata non fuit; multò tamen magis repugnat, vt colatur tanquam sanctus homo defunctus ob decessum in gratia, si re ipsa in gratia non decessit: quia si in gratia non decessit, nunc anima illius torquetur in inferno, & homo ille nunc quando ei exhibetur cultus est omnino indignus cultu; at B. Virgo, quæ nunc colitur ob Conceptionem Sanctissimam præteritam, Sanctissima nunc est, quamvis per impossibile Conceptio eius Immaculata non fuisset; per festum namque Conceptionis, licet colatur Conceptio naturalis propter sanctitatem ipsi adiunctam; tamen quòd ibi præcipuè colitur tanquam subiectum quod, est ipsa B. Virgo, quam certissimè constat in Cælo existere: magis ergo certum est Sanctum Canonizatum esse in Cælo, quàm B. Virginem fuisse in gratia conceptam.

237 Secundò, ad argumentum responderi potest, admittendo sequelam quoad certitudinem sanctitatis, prout colligitur ex cultu ipso publico: nam sicut fieri non potest, vt non obierit in gratia Sanctus ille, cuius obitum solemnè cultu celebrat tota Ecclesia, ita fieri non potest, vt Sancta non fuerit in sua Conceptione persona illa, cuius Conceptionem solemnè cultu vniversa celebrat Ecclesia: sicut fieri non potest, vt Sancta non fuerit in sua Natiuitate persona illa, cuius Natiuitas sacro cultu celebratur à tota Ecclesia; licet detur differentia, quòd Ecclesia permittit opinionem asserentem  
B.

B. Virginem fuisse Conceptam in peccato originali; non permitteret autem opinionem asserentem Sanctum Canonizatum non esse in gloria.

238. Eximius Doctor, tom. 2. 3. p. disp. 3. sect. 6. in 2. conclusionem asserit, ex huius festi celebritate colligi non posse tantam certitudinem, quanta in alicuius Sancti Canonizatione esse solet: quia ipsemet Pontifex, qui hoc festum approbat, declarat, se solum probare illam sententiam ut piam, magisque probabilem, quod satis est ut pie, & sine villo periculo possit hoc festum celebrari: quia primario fundatur in sanctitate Virginis; consequenter vero respicit circumstantiam temporis ut pie creditam. Ceterum pace tanti Doctoris, falsum mihi apparet hoc assertum: nam Sixtus IV. qui hoc festum instituit, in neutra ex suis constitutionibus iuri communi insertis declaravit, se solum probare sententiam de Immaculata Conceptione ut piam, magisque probabilem, ut attentè legenti constabit, nec vllam clausulam exclusivam certitudinis apposuit, licet abstinere voluerit à definienda veritate illius sententiæ.

239. Falsumque omnino est, hoc festum primario fundari in sanctitate Virginis, præscindendo à circumstantia temporis: non enim celebratur festum Conceptionis, quia sancta utcumque fuit B. Virgo; sed quia sancta fuit in sua Conceptione: nam cum certum sit ex præcepto Gregorij XV. celebrari in hoc festo Conceptionem naturalem B. Virginis, & cum ex doctrina Patrum §. 1. citata constet, nihil celebrari cultu sacro, nisi ratione sanctitatis: & ex sect. 8. constet, Conceptionem naturalem, non posse coli ratione sanctitatis postea extitura; quando ipsa Conceptio iam præterierat, fit consequens, hoc festum primario fundari in sanctitate Virginis pro primo instanti suæ animationis: sicut festum Nativitatis primario fundatur in sanctitate, quam habebat.

bebat B. Virgo, quando nata est; nec potuit fundari in sanctitate postea adventura. Quare, si sententia pia posset esse falsa posset Ecclesia errare in hoc festo, in quo colit Conceptionem naturalem, vt Immaculatam, & Sanctam; non potuit autem Christus permittere vt suus in terris Vicarius moveretur ab opinione re ipsa falsa ad instituendum hoc festum, & præcipiendum solemnem cultum Conceptionis naturalis toti Ecclesiæ ob sanctitatem falsò imaginatam.

240 P. Vazquez 3. p. disp. 117. asserit ex hac celebritate, quam vniversalis Ecclesia colit, non tam certò colligi posse Immaculatam Virginis Conceptionem, quàm ex celebritate Nativitatis sanctitas eius colligitur: nam Summi Pontifices Ecclesiæ ita instituerunt celebritatem Conceptionis, & officium illius approbarunt, vt nihil de fide certum de illa definitum esse voluerint; quin potius vnicique integrum esse, quam partem vellet, amplecti. Vt autem hoc festum fidelibus concederetur, satis illis fuit existimare hanc opinionem probabiliorum, & magis piam esse: nihil enim damni, multum verò utilitatis fidelibus ex celebratione huius festi, etiam si in sola opinione sanctitas illius posita esset, provenire posse, iure existimarunt; contra verò, cum ita Ecclesia, citra controversiam vllam inter fideles, credat Immaculatam, & Sanctam Virginis Nativitatem fuisse, & hoc sensu celebrandam populo Christiano instituerit, rectè quidem ex tali celebritate colligimus, ita certum debere esse fidelibus B. Virginem sine peccato natam fuisse, vt oppositum asserentes, non tantum temeritatis; sed erroris etiam meritò insimulari debeant.

241 Verùm hæc etiam doctrina mihi placere non potest: nam ex festo Conceptionis, non minori certitudine colligi potest illam fuisse sanctam, quàm ex festo Nativitatis colligatur fuisse sanctam Nativitatem: nam

VIRO

utrobique colitur absoluto cultu utrumque mysterium, & eodem officio, & eadem Missa cum sola mutatione nominis *Nativitas* in nomen *Conceptio*, & in neutro festo definitur sanctitas, quæ est motivum illius. Et quamvis ad instituendum festum Conceptionis satis fuerit Pontifici piè sibi persuadere eam fuisse Immaculatam ob fundamenta sententiæ piæ, quæ illi longè verosimiliora apparuerunt; non potuit Christus permittere, ut ex hac persuasione festum institueret, si illa foret re ipsa falsa: nec ad instituendum festum Nativitatis præcessit illa certitudo de sanctificatione Virginis intra uterum, quæ modò colligitur ex ipso festo: nam ante istud institutum, non esset impium, & erroneum negare Nativitatem fuisse sanctam, imò non deerant tunc qui existimarent B. Virginem, non fuisse sanctificatam in utero, ut supra observauimus.

242 Solum ergo datur differentia penes aliam certitudinem, quæ non colligitur ex festo, sed habetur aliunde, nimirum ex eo, quòd licet multi, gravesque Doctores asseruerint B. Virginem conceptam fuisse in peccato; nullus tamen gravis Theologus asserere ausus est illam natam esse in peccato. Item ex eo quòd Ecclesia expressè prohibuerit inurere notam erroris, vel peccati mortalis sententiæ rigidæ; non prohibuerit autem censurare eos, qui dicerent B. Virginem natam esse in peccato.

243 At obijcies, si certum physicè, & metaphysicè est, B. Virginem conceptam fuisse in gratia, idque colligitur ex festo instituto ab Ecclesia, & ex Bullis Pontificum editis in fauorem huius mysterij, sequitur peccaturos mortaliter Patres Dominicanos, qui nunc iudicarent B. Virginem conceptam fuisse in peccato: nam peccatum mortale est, negare B. Virgini privilegium, quod adeo certum est fuisse illi concessum; sequela autem

tem est absurda, quia, vt inquit P. Suarez, disp. 3. sect. 6. in conclus. Pontifices declararunt non esse peccatum grave illam opinionem defendere, & tenere, vt patet ex extravaganti Sixti IV. & ex motu proprio Pij V.

244 Antequam directè argumento respondeam, dico falsum esse Pontifices id declarasse; nec video quo fundamento id P. Suarez asseruerit: aliud enim est prohibere nequis notam peccati mortalis inurat alicui opinioni; aliud, declarare non esse peccatum grave illam opinionem defendere, aut tenere. Primum fecerunt Pontifices illi; non autem secundum, vt patet ex diverso modo, quo se gessit Sixtus erga Prædicatores censurantes sententiam piam, ac erga censurantes opinionem oppositam: nam propositiones Prædicatorum affirmantium, *hæresis crimen, aut peccatum mortale incurrere eos, qui crederent, aut tenerent B. Virginem ab originalis peccati macula preservatam fuisse, vt falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas* autoritate Apostolica damnat, ac reprobat, & sub gravissimis pœnis ipso facto incurrendis præcipit, ne deinceps vllus audeat affirmare eiusmodi per ipsum improbatas, & damnatas assertiones veras esse. At propositiones affirmantium hæresis crimen, aut peccatum mortale incurrere tenentes contrariam opinionem, non damnat vt erroneas, sed solum prohibet sub iisdem pœnis, vt patet ex verbis Sixti adductis sect. 2. num. 1.

245 Constat autem manifestè non esse idem prohibere sub excommunicationis pœna, ne quis aliquam opinionem de hæresi, vel peccato mortali censuret, ac declarare non peccare mortaliter eos, qui talem opinionem tenent, cum vnum sit separabile ab alio: ergo iuxta legitimum eius clausulæ sensum (infert P. Cardenas in sua crisi Theologica, pag. 102.) à Sede Apostolica non est decisum, an sit hæresis, vel peccatum mortale:

CON-

contrariam opinionē tenere: ergo falsò dicitur esse definitum, quòd non sit peccatum mortale contrariam opinionem tenere. Idque ad hominem contra Eximium Doctorem vrgetur: nam in eodem numero affirmat Pontifices illos nunquam declarasse sententiam oppositam esse probabilem, & tamen ex Bullis illorum Pontificum, non potius vnum, quàm aliud colligitur.

246 Præterea illud Eximij Doctoris dictum inde impugno, quòd Paulus V. Gregorius XV. & Alexander VII. in suis Constitutionibus repetunt illa verba, quibus Sixtus IV. & Pius V. prohibuerunt censuram sententiæ rigidæ: ergo si ex illis P. Suarez. colligit Sixtum, & Pium declarasse, non esse peccatum grave illam opinionem defendere, & tenere, inde conficitur hoc ipsum declarasse hos posteriores Pontifices, quod tamen est apertè falsum: cum enim illi in suis Constitutionibus severis imè prohibuerint Patribus Dominicis suam sententiam publicè, vel privatim defendere, vel in eius defensionem, quidquam loqui, non potuerunt in eisdem Constitutionibus declarare, non esse peccatum grave illam opinionem defendere: nam hoc ipso sibi contradicerent: qui enim sub excommunicationis maioris statim incurrendæ pœna prohibet opinionem aliquam defendere, non potest sine manifesta contradictione in eadem Constitutione declarare, non esse peccatum grave illam opinionem defendere, & tenere.

247 Iam ad argumentum directè respondeo primò, negando suppositum: crediderim enim nullum nunc esse virum doctum in gravissima Prædicatorum Familia, qui ritè expensis fundamentis sententiæ piæ, iudicare nunc audeat illam esse falsam. Secundò respondeo negando sequelam: ad eius probationem, distinguo propositionem illam, Peccatum mortale est negare B. Virgini privilegium, quod certum est illi fuisse concessum,

si id sit certum certitudine fidei, vel certitudine metaphysica ita clara, vt oppositum non possit tolerari, concedo; aliter, nego. Nos autem neque dicimus esse certum certitudine fidei Catholicæ B. Virginem præservatam fuisse à peccato originali, nec dicimus esse certum certitudine metaphysica ita clara, vt oppositum non possit iustissimè tolerari. Sic dicunt Authores Societatis certum esse, quòd physica prædeterminatio tollat libertatem; quòd dum dicunt non censurant opinionem Patrum Dominicanorum, quia neque dicunt esse certum certitudine fidei, neque certitudine metaphysica ita clara, vt obliget omnes ad negandam prædeterminationem erga actiones liberas. Veritas ergo Immaculatæ Conceptionis, quamvis sit certa; non tamen ita clarè, vt oppositum non sit vtcunque probabile, nimirum probabilitate incensurabilitatis, & iustis de causis toleretur ab Ecclesia.

248 Nec ex eo quòd Ecclesia toleret sententiam severam, & prohibeat notam erroris, vel peccati mortalis illi inurere, inferri potest eam esse probabilem, aut nunc teneri posse, vt gravissimis verbis explicuit Catherinus in disp. pro Immaculata Conceptione, lib. 2. pag. 61. præoccupans enim responsonem quandam Theologorum sui Ordinis, inquit: *At dicunt aliqui: non sumus hæretici, si non sequimur in hoc sensum Ecclesiæ: cautum est enim ne quis nos hæresis nomine damnet, si aliter sapiamus, quàm illa receperit. Non nego: sed illa vt pia, & suavissima mater non consuevit repentiè vinculis præceptorum filios adstringere, ne fortè ad contumaciam, & rebellionem provocaret: sic enim (vt Augustinus eleganter dixit) multitudinibus per schismata & hæreses pereuntibus plerunque subvenire solet; piorum autem filiorum non est in omnibus expectare præceptum, & interim eius indulgentia, & benignitate abuti.*

abuti, idque ad elationis suæ malum convertere, quod ipsa tolerat propter pacis bonum. Satis ergo hætenus fuit piæ matri factò, & exemplo suo monstrare, quid & nos facere debeamus, ad quos attinet æmulari illam ve Magistram, & matrem. Hæc Catherinus, *summa eruditione, & iudicio*, inquit V. noster Eusebius in Opusculo de sanctitate instituti §. 28.

249 Cuius verba cum laudasset, sequentia subiungit: *Que autem toleravit Ecclesia extra, imò contra mentem suam, & sensum communem non sunt pauca; satis est memorare, tolerasse aliquando diu dubitantes de Assumptione Virginea, etiam post celebratum eius festum, atque eandem tolerantiam aliqui extenderunt ad festum Nativitatis: præterea multos annos toleravit negantes processione[m] Spiritus Sancti à Filio: tum etiam errorem Masiliensium, vsque ad Concilium Arausicanum.*

250 Demum obijciens ex nostra sententia sequi de fide esse B. Virginem conceptam fuisse in gratia, vel saltè[m] ita certum, vt oppositum sit erroneum. Probatur sequela; quia, vt vidimus, disp. 4. sect. 4, vel de fide est, vel saltè[m] omnino Theologicè certum, non posse Romanum Pontificem errare in decretis morum: At decretum colendi Conceptionem naturalem B. Virginis est decretum morum: ergo vel est de fide, vel saltè[m] Theologicè certum Pontificem non errare in hoc decreto. At per nos, vt non erret in hoc decreto requiritur, quòd sententia pia sit vera: ergo per nos, vel est de fide, vel saltè[m] Theologicè certum B. Virginem conceptam fuisse in gratia, ac proinde per nos erit erronea sententia opposita.

251 Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem, concedo totum primum syllogismum, & distinguo minorem subsumptam, *Per nos, vt non erret in hoc*  
de-

*decreto requiritur, &c.* id asserendo tanquam aliquid de fide, vel tanquam omnino Theologicè certum, nego minorem; tanquam aliquid multò probabilius, & nobis moraliter certum, concedo minorem; & nego consequentias inde deductas.

252 Dico ergo ex nostra, & communi omnium ferè Theologorum sententia, omnino certum esse, quòd cultus externus, quem Ecclesia præcipit exhiberi B. Virginis Conceptioni naturali in se, non est obiectivè malus, & illicitus: non tamen esse omnino certum, quòd non sufficiat opinio probabilior & moraliter certa de sanctitate Virginis in primo instanti, licèt foret re ipsa falsa, ad hoc vt ille cultus non sit in se obiectivè malus. Vnde ex eo quòd primum sit de fide, vel Theologicè certum, non sequitur esse de fide, vel Theologicè certum secundum, nempe quòd sententia pia sit vera; sed solum id à nobis probabiliter asseritur: necessarium enim non est Theologicè certum illud, cuius oppositum impunè defenditur à viris Catholicis, probis, & sapientibus. At sanctè ab Ecclesia præcipi cultum Conceptionis B. Virginis docent gravissimi Doctores Catholici, non solum ex his, qui post institutum festum Conceptionis docuerunt B. Virginem fuisse conceptam in peccato; sed etiam ex his, qui totis viribus defendunt sententiam piam: siquidem communiter ij docent potuisse institui hoc festum ex vi opinionis in existimatione Ecclesiæ multò probabilioris, quamvis re ipsa feret falsa, quod de Canonizatione Sanctorum solus Caietanus, & Cano dixere, quos merito reliqui omnes Theologi graviter carpunt. Vnde erroris notam mereri non potest opinio rigida.

\* \* \* \*

SECT.

SECT. XVII.

*Quanam fuerit mens Divi Thomæ in hac  
controversia?*

253 **S**I, dum D. Thomas toties repetit B. Virginiem conceptam fuisse in peccato originali, nomine peccati intelligit ipsam maculam formalem, seu privationem gratiæ, dici necessariò debet, ipsam utramque sententiam in diversis locis tradidisse.

§ I.

*Ostenditur D. Thomam expresse tradidisse  
sententiam piam in primo sententiarum,  
& alibi.*

254 **I**N primis enim eam sententiam clarè tradidit in 1. dist. 44. art. 3. ad 4. nam respondens argumento, quo contendebatur, quòd nihil melius B. Virgine Deus facere possit: quia secundum Anselmum, decuit, ut Virgo, quam Deus vnigenito suo preparavit in matrem, ea puritate niteret, qua maior sub Deo intelligi nequit; respondens, inquam, huic argumento, inquit: *Quod puritas* intenditur per recessum a contrario, & ideo posset aliquid creatum muniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis; si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato actuali, & originali immunis fuit: fuit tamen sub Deo in quantum erat in ea potentia ad peccandum. Sed bonitas intenditur per accessum ad terminum, qui in infinitum distat, scilicet summum  
bo-

bonum : vnde quolibet finito bono potest aliquid *melius fieri*. Hæc ille , qui locus est evidentissimus pro nostra sententia. Idem docuerat ibidem dist. 17. q. 2. art. 4. ad 3. vbi inquit : differt puritatis augmentum , & charitatis : augmentum enim puritatis est secundum recessum à contrario , & quia in B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato , ideo pervenit ad summum puritatis ; sub Deo tamen , in quo non est aliqua potentia deficiendi , quæ est in qualibet creatura quantum in se est : charitatis autem augmentum est per accessum ad summam bonitatem , & ideo non habuit B. Virgo summam Charitatem , quia etiam profecit in charitate , & gratia. Alia loca D. Thomæ pro immunitate Deiparæ à macula originali citant P. Canisius , lib. 1. de Deip. cap. 6. Salmeron, disp. 51. in Epist. ad Romanos , & Henríquez in Summa , lib. 3. de Sacramentis , cap. 11.

255 Bernardinus de Bustos in officio de Conceptione approbato à Sixto IV. cum Indulgentijs anno 1480. vt constat ex Bulla existente in Regesto Franciscano, colum. 545. citat hæc verba D. Thomæ ex opusc. 8. expositionis salutationis Angelicæ : *Maria purissima quantum ad omnem culpam : quia nec originale , nec mortale , nec veniale peccatum incurrit*. Eundem locum citat P. Canisius , libro de Maria Deipara , cap. 6. & P. Salmeron, disp. 51. in Epist. ad Romanos , qui affirmat Cardinalem Turrecremata nobilem satis Thomistam verba ista agnoscere , & D. Thomæ propria esse calculo suo confirmare. Quæ tamen verba non inveniuntur in editione Antuerpiensi anno 1612. sed hæc alia : *Peccatum aut est originale , & de isto fuit munda in utero , aut mortale , aut veniale , & de istis libera fuit , vnde Cantic. 4. tota pulchra es amica mea , & macula non est in te. Qua propter putandum est , inquit P. Eusebius , opusculum illud*

illud vitiatum esse ab ijs, qui agrè ferebant D. Thomam piæ sententiæ toties adfavere.

256 Item in Commentario super Epistolas Pauli (quem certum est scripsisse D. Thomam post summam Hierologia inquit P. Eusebius) lect. 6. in Epist. ad Galatas, sic loquitur: *Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato: mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato immunis esset, ad minus originali, vel veniali: excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria.* Ita habent impressiones horum Commentariorum factæ Parisijs ann. 1529. & 1532. ac Venetijs ann. 1555. & denique aliæ factæ post ann. 1590. Sed Remigius Florentinus illam exceptionem posterioribus editionibus expunxit, eamque non habet Antuerpiensis qua vtor.


257 Aliud testimonium egregium repertum est Romæ ann. 1623. in Bibliotheca Cardinalis Sfortiæ in quodam libro antiquissimo veteribus characteribus conscripto, qui continebat expositionem D. Thomæ in Epistolas Pauli, in quo ad illa verba Apostoli: *Omnes in Adam peccaverunt* addidit expresse D. Thomas in Commentario hæc alia: *Vna excepta B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati.* Quem librum magna animi alacritate ad Urbanum VIII. detulit Cardinalis Trexo, Pontifex autem suis oculis ea leges in eo vetulissimo exemplari, & agnoscens ea non inveniri in novis editionibus vehementer demiratus, muniendo se signo crucis, dixit: *Rem esse magni momenti, ac consideratione dignam, sibi que magnam novitatem, ac admirationem attulisse.* Huius hitorix authenticum testimonium exhibuit Eminentissimus Cardinalis Sandoval Archiepiscopus Toletanus Patri Eusebio, qui ad longum illud apposuit in libro exceptionum, cap. 21.

258 Alium locum pro Immaculata Conceptione

citat Illustrissimus Magister Gaspar Catalan de Monzonis Ordinis Prædicatorum Episcopus Ilerdensis in Epistola ad D. Michaelém de Lanuza, quam noster Eusebius inseruit libro exceptionum, cap. 24. §. 1. alium, inquam locum desumptum ex opusc. 61. D. Thomæ in quodam tractatu de decem gradibus charitatis, ubi postquam dixit Deum fecisse Angelos *Speculum puritatis immaculatum, incoinquatum, incontaminatum*, adiungit, quòd ad maiorem suæ potentix ostensionem, illud elaboravit *Tersius, & purius Seraphim, ac tantæ puritatis, ut purius intelligi nequeat, nisi Deus sit*: ac hoc speculum asserit esse Beatissimam Virginem Dei genitricem, de qua Anselmus, &c. citatque locum iam supra relatum.

259. Quamvis adversarij repudiare velint hæc ultima testimonia; duo priora ex primo sententiarum negare non possunt, cum ad verbum habeantur in omnibus editionibus operum D. Thomæ. Causat vero admirationem quod Sanctus Doctor postmodum in 2. dist. 31. q. 1. art. 2. corpore dixerit: *Neesse est omnes, qui ex Adam generantur per viam coitus, peccatum originale trahere*, nulla facta mentione opinionis, quam sectatus fuerat in 1. Et in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. §. ad primam questionem, expresse dicit: *B. Virgo in peccato originali fuit concepta.* & §. ad secundam questionem, expressius affirmat peccatum originale Virginis, & in alijs locis citatis in hac sectione  
initio §. quinti.

)(§)(



§ II.

§. II.

*Quomodo intelligendus est Divus Thomas,  
cum toties repetit B. Virginem conceptam  
fuisse in peccato originali?*

260 **E**GO diligenter evolvi scripta D. Thomæ, in quibus de hac controversia agit, & censeo præcipuum scopum Sancti Doctoris fuisse probare B. Virginem in propria persona, idest, quando incepit existere in primo instanti animationis, indiguisse Redemptione, ac proinde contagium peccati originalis illam aliquo pacto affasse, & pro illo primo signo animationis dici conceptam in peccato: quia caro eius genita per commixtionem maris, & foeminae erat infecta, & traxit secum vitium naturæ, ac proinde redidit B. Virginem verè obnoxiam, & subiectam maculae formali consistenti in privatione gratiæ debitæ. Et sic B. Virgo verè habuit in primo instanti fomitem habitualem peccati, seu concupiscentiam habitualem, in qua secundum D. Thomam consistit peccatum originale pro materiali: vt enim inquit 1. 2. q. 82. art 3. in fine corporis: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia; formaliter verò est defectus originalis iustitiæ,* ac proinde docet contraxisse peccatum originale secundum id, quod dicit de materiali: de macula autem originali formali, quæ consistit in privatione gratiæ non multum errasse D. Thomam; sed in eo fixum fuisse, B. Virginem, nec pro primo instanti animationis sanctificatam fuisse sanctificatione purificante, & sanante naturam, & auferente indigentiam Redemptionis, & tollente peccatum originale secundum materiale ipsius,

secundum quod est radix, & necessitas quædam maculæ formalis, quæ necessitas debuit resultare, nisi ob merita Christi per miraculosam infusionem gratiæ omnino indebitam Virgini, attenta eius Conceptione, licet debitam ex meritis Christi, & attenta electione eius in matrem filij Dei, præoccupata fuisset hæc resultantia: cum verò supposito peccato originali pro materiali, habuerit B. Virgo peccatum originale pro formali: vel D. Thomam non determinasse in his locis, in quibus dicit fuisse conceptam in peccato originali, vel si determinavit, hoc fecisse purè opinativè ob auctoritatem Episcopi Parisiensis, qui prohibuerat festum Conceptionis, & ob statutum Universitatis Parisiensis, & ob reverentiam Ecclesiæ Romanæ, quæ volebat tunc admittere festum Conceptionis, & Sanctus Doctor existimabat conformius esse ipsius menti, dicere quòd anima Virginis pro primo instanti caruit gratia sanctificante, licet in prima sententia, sequendo ductum rationis, & intuendo dignitatem matris Dei, ex proprio sensu dixerit illam immunem fuisse ab hac macula: ac proinde, si Sanctus Doctor opinativè illud primum sensit ob illa motiva, in ipso modo hoc asserendi virtualiter dixit, asserendum esse, quòd B. Virgo fuerit in primo instanti animationis sanctificata sanctificatione auferente privationem gratiæ, hoc ipso quod Ecclesiæ Romana celebret festum Conceptioni.

261 Quòd hæc fuerit mens D. Thomæ suaderit potest primò, ex historia, quam narrat Bernardinus de Bustos, serm. 7. de Conceptione, nimirum, Dominum Frontinum Episcopum Patavinum, cum aliquando 3. partem D. Thomæ perlegeret, & articulum illum attigisset, in quo Sanctus Doctor Virginem in peccato originali conceptam asserit, mirari cœpisse, quod tantus, tamque Mariæ studiosus Doctor de illius Conceptione

ita severè censuisset ; tunc Sanctum Doctorem se illi videndum dedisse , atque ita eum fuisse alloquutum : *Scias, Domine Episcopo , quod quando talem opinionem posui, solum habui, respectum ad Divinum statutum , quòd B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat , nisi per Filium suum fuisset preservata.* Huic visioni fidem non habet P. Salazar , cap. 42. pag. 433. quia inde fieret Sanctum Thomam debitum contrahendi peccatum originale in Virgine agnovisse. Verùm ex hoc capite reiici non debet : nam communiter assertores sententiæ piæ affirmant B. Virginem non solum habuisse debitum contrahendi maculam originalem , cum fuit in lumbis parentum , atque etiam in prima sui Conceptione in commixtione seminum facta , sed etiam in ipso primo instanti animationis. Ita P. Valentia, lib. 4. disp. 2. punct. 12. colum. 428. Bellarminus, lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 16. §. *Denique obnoxia*, P. Suarez, tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 4. §. 42. & vberius , pag. 35. colum. 2. Vazquez 3. p. disp. 116. cap. 5. num. 51. *Ægidius*, & alij, qui graviter censurant sententiam oppositam. Sed quidquid de illa visione sit , hanc fuisse D. Thomæ mentem latè probat insignis Thomista Ioannes à Sancto-Thoma, tract. 1. in 3. p. disp. 2. proœmiali, art. 2. à pag. 226. qui tandem , pag. 228. sic concludit.

262 *Itaque invenit D. Thomas* , iam suo tempore controverti hanc difficultatem , & multos inclinare in Immaculatum conceptum Virginis , Ecclesiasque non paucas celebrare hoc festum ex tolerantia Romanæ Ecclesiæ ; ipsam tamen Ecclesiam Romanam nondum illud celebrare. Vnde permaximè sollicitus fuit de vno puncto, quod in hac materia gravius , & considerabilius est , & ad doctrinam Christianam præcipuè spectans , videlicet, ne gratia sanctificationis , quæ tribue-




ba-

batur Conceptioni Virginis, ita sinistrè intelligeretur ab aliquibus, quòd non ipsi personæ Virginis diceretur fieri gratia; sed quæcumque gratia, seu beneficium hoc sit, ipsi personæ Virginis debet fieri; non parentibus, sanando vitium naturæ; non Conceptioni activæ, seu præparationi, & commixtioni seminum; non embrioni; postremò non animæ, nec carni ante animationem, & constitutionem personæ. Hoc voluit maximè observari D. Thomas, & in hoc totum suum studium posuit; quia videbat, si in hoc sinistra aliqua intelligentia innotesceret, & semel admitteretur non ipsi personæ Virginis fieri hoc beneficium, destrui grande principium in fide, quod daretur aliqua persona inter homines, quæ in se personaliter, seu ratione suæ personæ non indigeret Redemptione Christi. Ad hoc autem necesse er at ponere debitum aliquod, seu periculum in ipsa persona, à quo, si non teneretur, non liberaretur, &c. Hoc puncto stabilito, quod præcipuum fuit curæ D. Thomæ, & in quod totum pondus rationis suæ libravit, scilicet, quia aliàs non indigeret Redemptione in persona propria, si debitum saltèm non haberet: hoc, inquam, stabilito, de reliquo, an scilicet habendo debitum in sua persona; de factò non contraxerit culpam; sed præservata fuerit B. Virgo in instanti suæ animationis,

utrique opinioni locum dedit S. Thomas,

quæ erat quæstio de factò.

Hæc ille.



§ III.

*Exponitur in speciali mens D. Thoma, & cur Sanctus Doctor nunquam directè quaesiverit, an B. Virgo sanctificata fuerit in instanti animationis?*

263. **ET** quidem S. Thomas, agens de sanctificatione Virginis, nunquam directè quaesivit, an fuerit sanctificata in instanti animationis, sed in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. sub hoc titulo: *An B. Virgo fuerit antè sanctificata, quàm conceptio eius finiretur?* Disputat in prima quaestiuncula, an fuerit sanctificata ante Conceptionem; nimirum prout erat in parentibus, vel in ipsa Conceptione carnali; & in tertia quaestiuncula, an fuerit sanctificata ante animationem; & incidenter, §. *Ad primam questionem*, & §. *Ad secundam questionem*, dicit, illam conceptam esse in peccato, & in 3. ad Anibaldum, dist. 3. q. vnic. art. 1. solum inquit, *an B. Virgo in vtero fuerit sanctificata?* incidenter tamen dicit id ipsum, quod dixerat in priori scripto. Et 3. p. q. 27. Vbi agit etiam de sanctificatione Virginis, cum art. 1. quaesisset, *an B. Virgo sanctificata fuerit ante Nativitatem ex vtero*, & partem affirmantem statuisset; art. 2. solum inquit, *an fuerit sanctificata ante animationem?* & quaestionem resolvit negativè, & inde infert fuisse sanctificatam post animationem, quæ illatio est nulla, si intelligatur determinatè de sola posterioritate temporis; cum detur medium, nempe, quod fuerit sanctificata in ipso instanti animationis pro posteriori naturæ ad  
ine-

infusionem animæ in corpus. Vnde S. Thomas videtur hoc loco voluisse abstinere à decisione huius dubij, an scilicet fuerit sanctificata in primo instanti animationis; an paulò post? quia id necessarium non erat ad salvandam indigentiam Redemptionis in persona Virginis, qui erat scopus præcipuè intentus: ad salvandam enim indigentiam Redemptionis in ipsa Virginis persona, quæ non datur, quousque anima infundatur corpori, satis erat probare non fuisse sanctificatam ante animationem: nam si antè non fuit sanctificata caro Virginis, illa caro erat infecta, & caro peccati quando ei infusa est anima, ac proinde infecit quodammodo animam: nam Augustinus, lib. 1. contra Iulianum, cap. 5. dixit: *Animam infici ex carne corrupta, sicut liquor ex vase immundo.* Idem dicit Magister in 2. dist. 31. §. *Ad quod dici potest: Quod vitium, inquit, vel corruptio sit in carne ante coniunctionem anime effectu probatur, quæ ex corruptione carnis maculatur, sicut in vase cognoscitur vitium esse, cum vinum infusum acescit.* Hæc autem infectio, quam necessario contrahit anima ex vnione ad carnem infectam consistit in fomite habituali concupiscentiæ, quem necessariò contrahit, hoc ipso, quòd infundatur carni infectæ, & in debito, & necessitate quadam incurrendi maculam formalem consistentem in privatione gratiæ. Si autem caro Virginis ante animationem fuisset sanctificata, & purificata; anima ex vnione ad ipsam non contraheret debitum peccati, nec in se persona Virginis indigeret Redemptione, quæ est per Christum, de quo dicitur Matth. 1. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis;* quod est absurdum: nam, vt constat ex 1. ad Timoth. 2. Christus est Salvator omnium hominum, & consequenter Virginis: ergo persona Virginis in se ipsa existens indiguit Redemptione, ac proinde eius caro ante animationem non fuit purificata, & sancta,

ni-

*De certitudine mysterij Concept.* 193

nimirum reducendo illam ad eum statum, quem habuisset, si fuisset genita in statu innocentiae sine inordinatione vlla concupiscentiae; sed sanctificatio eius necessaria fuit pro posteriori ad animationem, sive in primo instanti, sive in secundo, de quo ibi Sanctus Doctor non videtur curasse.

264 Ego observatione dignum censeo, quod S. Thomas 3. p. (quod postremum opus ab ipso compositum, & quod morte praeventus absolvere non potuit) non faciat mentionem vllam de instanti animationis; sed solum doceat B. Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem; sed post animationem. Caietanus in Commentario illius articuli respondet, ideo D. Thomam hic non meminisse opinionis benignae; quia tempore suo: *Non erat adinventum, omnibus communiter tenentibus B. Virginem conceptam in peccato originali.* Sed hoc est manifestè falsum: primò, quia, vt vidimus supra, S. Bonaventura mentionem facit illius opinionis, eiusque fundamentum proponit: & eiusdem meminit Albertus Magnus in 3. dist. 3. art. 4. vbi agens de sanctificatione B. Virginis, inquit: *Quidam praesumpserunt dicere, quod Spiritus Sanctus, & anima venerunt simul ad corpus.* Secundò: quia Sanctus Thomas illam sectatus fuerat in 1. sententia, quem librum scripsit adhuc iuuenis. Tertio, quia, si Commentarij in libros Sententiarum vitiatum non sunt, vt aliqui existimant, in illis expresse docet B. Virginem non fuisse sanctificatam in primo instanti animationis: & admiratione dignum est, quod de hoc non meminerit 3. p. Assumptum probatur: quia in primo scripto supra tertium librum sententiarum, dist. 3. p. 1. art. 2. §. *Ad secundam questionem*, inquit: *Dicendum quod sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae: quia gratiae capax nondum erat; sed nec etiam in ipso instanti infusionis, vt scilicet per gratiam tunc sibi in-*

fusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret: Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut Redemptione non egeat: quia caput nostrum est; sed omnibus convenit redimi per ipsum; hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur, quæ nunquam originali macula fuisset infecta. Tertio, quia in 2. scripto breviori in libros sententiarum, nimirum in 3. ad Anibaldum, dist. 3. quæst. unica art. 1. id ipsum repetit: Dicendum quod B. Virgo nec ante Conceptionem, nec in Conceptione ante animæ infusionem sanctificata fuit, nec in ipso instanti infusionis animæ; quia sic non contraxisset originale, & ideo omnibus non convenit redimi per Christum.

265 Quid ergo causæ esse potest, quod Sanctus Doctor ad extremum suæ vitæ, quando abundantiori luce præditus erat, penitus omisserit mentionem illius primi instantis, faciendo discursum, qui, si intelligatur de posterioritate temporis determinatè, omninò mancus, & mutilus est; est enim hic: B. Virgo non est sanctificata ante animationem: ergo est sanctificata post animationem; quæ consequentia est nulla; datur enim medium, nempe in ipsa animatione. Ne ergo dicamus, Sanctum Doctorem ineptè argumentatum esse, fatendum est, aliquod mysterium hic latere. Hoc ego mysterium suspicor esse, quod, cum D. Thomas eam quæstionem scriberet, cum iam Alexander Alensis, & Albertus Magnus ipsius Præceptores, & Sanctus Bonaventura eius condiscipulus, & commagister retractaverant sententiam rigidam de macula peccati originalis contracta à B. Virgine; & aliunde recognosceret, ad salvandam indigentiam Redemptionis in persona Virginis satis esse, quod ipsa ante animationem non fuerit sanctificata, sanando, & purificando naturam, seu quod ex vi Conceptionis in primo instanti animationis haberit fomitem habitualem concupiscentiæ, id est, in-

ordinatam concupiscentiam habitualem, quæ non totaliter subditur rationi, vi cuius post usum rationis resultarent motus indeliberati erga objecta delectabilia prohibita, nisi fomes ille per gratiam ligaretur, aut extingueretur, vt de facto iuxta Sanctum Thomam 3. p. q. 27. art. 3. corpore, contigit; nam ibi inquit: *Videtur melius dicendum, quod per sanctificationem in utero non fuerit sublatus B. Virginis fomes secundum essentiam; sed remanserit ligatus; postmodum vero in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primo debuit resfulgere peccati immunitas, credendum est, quod ex prole redundaverit in matrem, totaliter fomie subtracto.* Cum hæc, inquam, videret Sanctus Doctor sapientior factus, noluit positivè affirmare quod antea videtur affirmasse in 3. libro sententiarum, quem scripsit quando illi tres magni viri sentiebant B. Virginem non fuisse sanctificatam in ipso instanti infusionis animæ, quia iam id censebat minus probabile, & absolute falsum, sicut prius censuerat, dum scriberet in 1. sententiarum: & aliunde ob reverentiam præcepti Mauricij Episcopi, & statuti illius Universitatis, & vt se magis conformaret cum Ecclesia Romana, quæ nondum circa hanc controversiam suam mentem aperuerat, admittendo festum Conceptionis, noluit Sanctus Doctor positivè affirmare illam fuisse sanctificatam in primo instanti infusionis animæ, sed ab utroque abstrahens, tanquam certum statuit, B. Virginem sanctificatam fuisse post animationem, sive id fuerit cum sola posterioritate naturæ, sive cum posterioritate temporis. Sic Sanctus Doctor 2. 2. q. 163. art. 1. docuit primum peccatum Adæ fuisse superbiam, licet hoc non fuerit primum, nisi prioritate naturæ, vt rectè notavit Moncaus, disp. 7. cap. 5.

266 Quare, dum D. Thomas in eo articulo in responsione ad 3. dicit, B. Virginem contraxisse peccatum

originale, nomine peccati originalis intelligit radicem, & debitum maculæ: quia anima infusa carni infectæ constituit naturam humanam, quæ habet vi Conceptionis defectum hunc, quòd sit obnoxia maculæ. Vt enim inquit Sanctus Doctor, q. 4. de malo, art. 3. ad 1. *Anima rationalis non habet immunditiam peccati originalis, nec ex se, nec à Deo; sed ex vnione ad carnem; sic enim fit pars humane nature derivata ab Adam.* Idque colligitur ex verbis Sancti Doctoris in illa responsione ad 3. reddens enim rationem, cur B. Virgo, licèt fuerit orta à parentibus tam mundatis, & sanctis, nihilominus contraxerit peccatum originale, inquit: *Nihilominus B. Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam, ex commixtione maris, & fœminæ: dicit enim Augustinus in libro de nuptijs, & concupiscentia, omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati.* Quæ ratio evincit quidem B. Virginem contraxisse peccatum, sumpto peccato pro fomite habituali concupiscentiæ, & pro debito incurrendi maculam formalem consistentem in privatione gratiæ; non tamen sumpto peccato originali pro ipsa macula formali; alioquin nec de potentia absoluta posset Deus pro primo instanti infundere gratiam homini concepto secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris, & fœminæ, quod est evidentè falsum.

267 Ratio cur illa concupiscentia habitualis, quæ nihil aliud est, quàm ipsa pronitas, vel habilitas ad concupiscendum, quæ est ex hoc, quòd vis concupiscibilis non perfectè subditur rationi, sublato fræno originalis iustitiæ, vt definit S. Thomas, q. 4. de malo, art. 2. ad 4. ratio, inquam, cur illa concupiscentia appelletur peccatum originale, quatenus est in signo priori ad maculam, illam radicans, & exigens, est, quam reddit ibidem S. Thomas: *Quia peccatum originale non eadem ratione dicitur*

peccatum, qua actuale: quia peccatum actuale in actu voluntario alicuius personae consistit: & ideo quod ad talem actum non pertinet, non habet rationem actualis peccati; sed peccatum originale est personae secundum naturam, quam ab alio traxit per originem, & ideo omnis defectus in natura prolis inventus derivatus à peccato primi parentis habet rationem peccati originalis, dummodo sit in subiecto, quod sit susceptivum culpae. Nam, sicut Augustinus dicit in 1. retract. Concupiscentia dicitur peccatum, quia est à peccato facta. Cum ergo in primo instanti suae animationis B. Virgo in illo priori naturae habuerit fomitem concupiscentiae habitualement derivatum cum carne ex peccato primi parentis, & fuerit subiectum susceptivum privationis gratiae, in qua privatione pro formali consistit peccatum originale secundum S. Thomam, & communem Theologorum sententiam; imò, cum pro illo signo habuerit debitum, & necessitatem quandam incurrendi illam privationem, ideo pro illo priori dicitur contraxisse peccatum originale, nimirum in radice, & secundum materiale peccati originalis.

268 Nec inde inferas, fomitem illum concupiscentiae in baptizatis similiter posse dici peccatum originale. Negamus enim illationem: nam in B. Virgine, & in omnibus Adae filijs fomes ille pro primo signo naturae est capax constitui in ratione culpae simpliciter originalis ratione privationis gratiae, quae privatio potest, ac debet supervenire pro posteriori naturae, attento peccato Adami, quo meruit ut omnes descendentes ab ipso privarentur gratia à primo instanti suae animationis: at in semel baptizatis fomes ille non est capax constitui in ratione peccati originalis, quod iam supponitur remissum, nec fundat debitum privationis gratiae: nam semel baptizatus iam non potest privari gratia propter peccatum Adae; sed vnicè ob peccatum personale actuale.

Inde fomes ille in renatis solum, & improprie, & metaphoricè dicitur peccatum, quatenus traxit originem ex peccato Adæ, & inclinatur in peccata actualia, fundatque necessitatem moralem illa committendi, nisi per gratiam Christi cohibeatur; ut enim definit Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat. Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & proprie in renatis peccatum sit; sed quia à peccato est, & ad peccatum inclinatur. Perpende illud in renatis, quo insinuat, in non renatis concupiscentiam (non quidem actualem, sed habitualem) posse dici peccatum originale, & consequenter simpliciter peccatum ratione privationis gratiæ, quam traxerunt ex peccato Adami, & denuò radicatur magis in anima ob peccata actualia gravia commissa à non baptizatis, & nunquam iustificatis.*

269 Nec contra hoc obstat, quod Sanctus Doctor illo, art. 2. 3. partis in corpore, dicit: *Quod si nunquam anima B. Virginis fuisset contagio peccati originalis inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis hominum Salvator, & ideo sub Christo qui salvari non indiguit tanquam universalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas: nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum; sed in ipsa sui Conceptione fuit sanctus; sed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum; sed ab eo fuit mundata antequam ex utero nasceretur.* Non, inquam, obstat, imò hinc suadetur B. Virginem in primo instanti suæ Conceptionis ita contraxisse maculam peccati quoad radicem, & debitum, ut non contraxerit illam quoad privationem gratiæ, in quo formaliter consistit ipsa macula. Nam sub Christo, qui salvari non indiguit, maxima fuit B. Virginis puritas; non fuisset autem maxima sub Christo, si pro primo instanti animationis privata

fuit.

fuiſſet gratia ſanctificante ob peccatum Adæ: nam, vt  
oſtendimus ſupra, §. 3. ſectionis 2. ſtat B. Virginem  
indigniſſe Redemptione, qua Chriſtus non indiguit; &  
tamen ornatam fuiſſe gratia in primo inſtanti animatio-  
nis: nam ad indigentiam Redemptionis ſatis eſt, quòd  
B. Virgo habuerit in primo inſtanti animationis fomi-  
tem habitualem peccati, & debitum maculæ, vtpote  
concepta ex commixtione maris, & fœminæ cum ali-  
quo defectu naturæ; licet abſque defectu personali ſan-  
ctiſſimorum parentum: vnde ſi B. Virgo privata fuiſſet  
gratia in primo inſtanti propter peccatum Adæ, infra  
Chriſtum; qui non indiguit Redemptione, eſſet proba-  
bilis maior puritas, quàm puritas B. Virginis, nimirum  
puritas illius hominis, cui quamvis concepto ex com-  
mixtione maris & fœminæ, & habenti debitum caren-  
di gratia, Deus infunderet gratiam pro primo inſtanti.  
Quare ad collocandam puritatem B. Virginis infra pu-  
ritatem Chriſti ſatis eſt, quòd Chriſtus nullo pacto  
contraxerit peccatum originale, & quòd B. Virgo illud  
aliquo pacto contraxerit, nimirum quoad materiale, &  
in radice, & debito, quoad formale: ſufficit quòd  
Chriſtus, vtpote conceptus de Spiritu Sancto, fuerit ex  
vi Conceptionis incapax peccati, & quòd B. Virgo,  
vtpote concepta ex commixtione carnali maris, & fœ-  
minæ; fuerit non ſolum capax; ſed debitor maculæ, &  
illius incurrendæ neceſſitatem quandam habuit infalli-  
biliter reducendam ad actum, niſi Chriſtus in præviſio-  
ne Dei obtuliſſet ſua merita pro præſervatione ſuæ  
matris.

270 Quare quod Sanctus Thomas hic affirmat,  
*animam B. Virginis fuiſſe aliquando contagio originalis pec-*  
*cati inquinatam,* ne Sanctus Doctor in eodem articulo ſi-  
bi contradicat, & ne doctrinam dicatur ibi tradidiſſe,  
quæ modò, non ſolum falſa; ſed erronea cenſeretur,  
ni-

nimirum, ad indigentiam Redemptionis necessarium fuisse, quod habuerit maculam formalem consistentem in privatione gratiæ (ex quo sequitur, quod, sicut de fide est B. Virginem fuisse redemptam, esset de fide, vel saltem conclusio Theologica omnino certa, illam incurrisse maculam originalem) ne hoc concedere cogamur, fateri debemus, Sanctum Doctorem per contagium culpæ originalis, quo afflata est anima B. Virginis, intellexisse concupiscentiam habitualement, seu fomitem peccati, & debitum, atque necessitatem incurrendi privationem gratiæ, nisi per merita Christi ille incursum impediretur.

271 Nec obstat quod D. Thomas dixerit, B. Virginem mundatam fuisse à peccato originali antequam ex utero nasceretur. Tum quia liberata est à fomite, & à debito peccati, quod debitum appellatur à D. Thoma peccatum originale. Tum quia ipse Angelicus Doctor, 3. p. q. 32. art. 4. ad 1. hoc verbum *purgans*, seu *mundans* interdum significare, idem quod *preservatus*, & hoc sensu vsurpari ait à Damasceno, lib. 3. de fide, cap. 2, dicente: *Quod Spiritus Sanctus supervenit in Virginem purgans ipsam, id est, preveniens, ne cum peccato originali conciperet.* Quare iuxta D. Thomam B. Virgo mundata fuit in utero à macula peccati originalis, vel quam habuit, vel quam haberet, nisi per Christum fuisset redempta, à quo D. Thomas abstrahere voluit.

272 Ex dictis constat, si commentarij in 3. librum sententiarum vitiatum non sunt, D. Thomam in ultimo opere Scholastico tacite revocasse quod ibi asseruerat, vel saltè illud in dubium revocasse, & idè omnino prætermisisse. Illos autem Commentarios vitiatos esse multis argumentis probat P. Aldrete in controversia de immunitate Deiparæ, disp. 1. sect. 4. num. 5. Sed validius Petrus Alva in Sole veritatis, radio 81, à col. 897.

&amp;

& huius rei non exiguum indicium est, quòd nec P. Nicolaus Emericus Ordinis Prædicatorum, Inquisitor Generalis Aragoniæ, acerrimus Immaculatæ Conceptionis impugnator in suo tractatu contra Conceptionem scripto anno 1395. vt in ipso dicitur, nec Vincentius Bandellus in simili tractatu, qui testimonia D. Thomæ diligentissimè conquisierunt contra Immaculatam Conceptionem, illam authoritatem ex 3. sententiarum citant, cùm tamen sit omnium vrgentissima, & expressa vnicè, & sita sit in illa quæstione, in qua ex professo tractavit Sanctus Doctor de sanctificatione Virginis, quod signum est hanc authoritatem tempore Emerici, & Bandelli non extitisse; sed postea additam fuisse: quia, si in codicibus tunc extantibus inveniretur, latèer non poterat viros eruditos, qui tam avidè quæsiere omnia testimonia, quæ ex Sancto Doctore congerere potuerunt in favorem suæ sententiæ.

273 Secundo: quia Sanctus Doctor tota illa quæstione solum intendit probare, B. Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem. Hoc proposuit in titulo, hoc conatur persuadere in argumentis, & in responsione ad obiectiones, in quibus omnibus nullam aliam consequentiam deducit, nisi illam: *Ergo non fuit sanctificata ante animationem*: Ergo cùm resolvit quæstionem his verbis: *Dicendum, quòd sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat*, credibile non fit, addidisse hæc alia, quæ inveniuntur in impressiõibus, quibus nunc vtimur, nimirum sequentia: *Sed nec etiam in ipso instanti infusionis, vt scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret*. Siquidem hoc additamentum nullam connexionem habet cum antecedentibus, nec correspondentiam cum titulo quæstionis, nec cum argu-

mentis adductis ad probandum B. Virginem fuisse sanctificatam ante animationem.

274 Addit Alva, esse etiam vitiatum articulum illum secundum quæstionis 27. tertiæ partis, & ad id comprobandum adducit testimonium Ioannis Bromardi Ordinis Prædicatorum, qui parùm post. S. Thomam vixit, & floruit tempore Sancti Doctoris: nam hic Author in Summa Prædicantium, verbo *Maria*, tom. 2. art. 2. num. 8. §. *Sed quia*, agens de corona Virginis, & duodecim stellis, seu donis singularibus B. Virginis, expresse affirmat, fuisse sanctificatam in primo instanti animationis, & ad hanc excellentiam confirmandam, citat illum articulum secundum D. Thomæ, his verbis: *In eadem etiam quæstione 27. art. 2. ponit (S. Thomas) eius sanctificationis excellentiam, quantum ad temporis prioritatem, in hoc quòd sanctificata fuit in sua animatione, id est, in coniunctione anime cum corpore in utero matris, & non antè, &c.* Unde Petrus à Valleda in suis Diatribis, Diatriba 6. fol. 114. agens de hac quæstione 27. & art. 2. 3. partis, inquit: *Itaque textus ille fuit manu adulteratrici contactus: & apud F. Ioannem Bromardium, qui floruit ann. 1260. ve habet Chronicon Prædicatorum, locus ille legitur, ut par est. Vide sis Ioannem Bromardium in Summa Prædicantium verbo Maria, art. 2. adducit enim Bromardius S. Thomam eo loco dicentem, B. Virginem fuisse sanctificatam, non ante animationem; sed in ipsa prima animatione, ex quo sequitur exclusio peccati originalis à Deipara. Fratres autem, ne ibi hoc S. Thomas diceret, & sibi contradiceret 1. 2. adulterato textu effecerunt. Hæc ille: ego nihil de meo pono; fides sit penes illos. Hoc securè dico: si S. Thomas in eo articulo non dixit, B. Virginem sanctificatam fuisse in instanti animationis; sed solum asseruit, non esse sanctificatam ante animationem; sed post animationem, par-*

ei culam illam post non alligasse ad significandam posterioritatem temporis, sed indifferenter, vel ad posterioritatem temporis, vel solius naturæ.

§. VLTIMVS.

*An, iuxta S. Thomam, ut proles contrahat peccatum originale, sufficiat, quòd concipiatur ex commixtione maris, & fœminæ; an ulterius requiratur, quòd concipiatur cum aliqua inordinatione concupiscentiæ?*

275 **S** Augustinus, lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia, cap. 24. expresse pronuntiavit, quòd libido est, quæ peccatum originale transmittit in prolem. Dubium autem est, quo pacto id verum esse possit? S. Thomas in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. in responsione ad 1. quæstionem, affirmat; potuisse quidem Deum ita sanctificare parentes Virginis, vt curaret in eis non solum id, quod est personæ; sed etiam quod est naturæ in quantum est huiusmodi: in quo eventu conciperent prolem sine peccato originali; at non decuisse: *Facere, inquit, potuit; sed non decuit*, & ideo sic in statu viæ parentes eius curati non fuerunt, vt prolem suam sine peccato originali concipere possent: & ideo B. Virgo in peccato originali fuit concepta, propter quod Bernardus in Epistola ad Lugdunenses scribit, Conceptionem eius celebrandam non esse. Et ibidem art. 2. in 3. quæstionem ad 3. ait: *si per impossibile ponamus, B. Virginem post secundam sanctificationem (quando iuxta S. Tho-*

nam fuit ei fomes totaliter ablatum) alium filium ex carnali copula concepisse, ille filius peccatum originale habuisset, non ex parte matris, sed ex parte patris: si verò ponatur illum patrem pari modo sanctificatum fuisse sicut Virgo in sanctificatione secunda, ille filius peccatum originale non haberet. Quare, iuxta D. Thomam in hoc loco, si parentes Virginis illam genuissent sine vlla libidine, & cum ea perfectione, cum qua in statu innocentiae Adam, & Eva filios procreassent, si iustitiam originalem non amisissent, B. Virgo non contraheret peccatum originale.

276 Hanc tamen sententiam videtur Sanctus Doctor retractasse 1. 2. q. 82. art. 4. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quòd libido, quæ transmittit peccatum originale in prolem, non est libido actualis: quia dato, quòd virtute Divina concederetur, quòd nullam inordinatam libidinem in actu generationis sentiret; adhuc transmitteret in prolem peccatum originale: sed illa est intelligenda habitualiter, secundum quod appetitus sensitivus non continetur sub ratione, soluto vinculo originalis iustitiæ, & talis libido in omnibus est æqualis.* Et hoc verissimum existimat Bellarminus, lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati, §. Præterea, ubi ait: *Si vir, & fœmina ex Adamo nati, singulari privilegio Dei sine libidine generarent, peccatum nihilominus in filios transmitterent; quia filij horum hominum verè filij essent Adami, & in eo peccassent, in quo omnes peccaverunt, neque gratia personalis proxima parentum in eos transfunderetur: non igitur libido generantium originalis est causa peccati.* Vnde postea concludit ad traductionem peccati originalis nihil aliud requiri, nisi ut homo per veram generationem ab Adamo descendat. *Hoc autem ipso, inquit, quòd aliquis in lumbis Adæ fuit, cum is præceptum in Paradiso transgredereetur, in illo eius peccatò communicavit: nam, ut Apostolus lo-*  
qui-

quitur ad Romanos 5. *In illo omnes peccaverunt, omnes, inquam, qui in lumbis eius erant.*

SECT. XVIII.

*Quo tempore inceperit festum Conceptionis  
in Ecclesia Romana celebrari, id est, in tota  
Ecclesia Catholica, ex concessione  
Sedis Apostolicæ?*

277 **I**N primis certum est, quòd tempore D. Thomæ, qui obiit ann. 1274. nondum hoc festum celebrabatur in Ecclesia Romana: nam Sanctus Doctor 3. p. q. 27. art. 2. ad 3. inquit: *Licet Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebret; tolerat tamen consuetudinem aliquam Ecclesiarum illud festum celebrantium: unde talis celebritas non est totaliter reprobanda.*

278 Secundò verum apparet, nondum admissum fuisse hoc festum ab Ecclesia Romana, ætate Ægidij Romani, qui vivebat ann. 1290. Cùm enim fuisset D. Thomæ auditor, & eius doctrinæ defensor acerrimus, ac proinde defenderet, B. Virginem conceptam fuisse in originali, & ipsi obijceretur Anselmi autoritas in Epistola quadam ad Episcopos Angliæ (eius mentionem facit etiam Capreolus in 3. dist. 3. q. unica ad 8.) dicentis: *Non puto amatorem esse Virginis, qui respuit celebrare eius Conceptionem, respondisse traditur: Ecclesia Romana supponitur vera amatrix B. Virginis; quæ tamen hanc celebritatem non celebrat.* Ita refert Antonius Sobrinus in tractatu de Conceptione, cap. 9.

279 Tertiò verisimile est, nondum fuisse hoc festum positivè approbatum ab Ecclesia Romana tempore

Ioan:

Ioannis de Bachone, nobilis è Carmelitana Familia Theologi, qui obiisse dicitur ann. 1346. nam hic Author in 4. dist. 2. q. 4. art. 3. scribit, ab antiquis temporibus, in Romana Curia hoc festum, præsentibus Cardinalibus, in Carmelitarum cœnobio celebratum fuisse. *Et hoc (inquit) publica, & diurna consuetudine. Et hæc duraverunt tempore multorum Romanorum Pontificum, usque in præsens tempus, & constat, quòd tanquam diurnam, & notoriam solemnizationem bene noverant.* Quibus verbis, dum ex præsentia Cardinalium, & tolerantia Romanorum Pontificum commendat hoc festum, satis indicat, illud solùm fuisse ab Ecclesia Romana permissum; non tamen positivè admissum, & celebratum.

280 Dubium verò non modicum est, an ante tempus Concilij Basiliensis, quod inchoatum est ann. 1431. celebraretur iam festum Conceptionis ab Ecclesia Romana? Partem affirmantem sequitur Ægidius de Præsentatione, lib. 3. de Conceptione, q. 6. art. 1. §. 4. n. 21. eamque colligit ex sess. 36. illius Concilij habita ann. 1439. vbi ita Concilium statuit: *Renovantes præterea institutionem de celebranda Sancta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Ecclesias sexto idus Decembris antiqua, & laudabili consuetudine celebratur.* Quibus verbis sentit Ægidius Concilium affirmare, Ecclesiam Romanam ex antiqua consuetudine hoc festum celebrasse.

281 Sed contrarium est, quod Ioannes Capreolus S. Thomæ defensor egregius, qui vivebat ann. 1410. in 3. sententiar. dist. 3. q. unica, in responsione ad 7. expresse ait, quòd suo tempore illud festum non celebrat Romana Ecclesia; & Cardinalis Turrecremata, qui obiit ann. 1468. in libro de Conceptione, part. 9. cap. 10. affirmat, quòd hoc festum non celebrabatur suo tempore ab Ecclesia Romana, additque, quòd, quamvis  
in-

in Romana Curia ab aliquibus etiam Cardinalibus celebraretur; non tamen coram Pontifice, & Collegio Cardinalium.

282 D. Antonius Calderon in sua nervosa, erudita, & eleganti Apologia pro titulo Immaculatæ Conceptionis, cap. 6. num. 6. litem hanc componit; asserendo, tempore Capreoli, qui vivebat quindecim annis ante decretum Concilij Basiliensis, nempe ann. 1414. & tempore Cardinalis Turrecrematæ, qui illi Concilio interfuit, & post decretum scripsit; nondum Ecclesiam Romanam inseruisse suo Missali, & Breviario Romano Officium Conceptionis, & hac ratione certum esse, nondum tunc celebrari ab Ecclesia Romana festum Conceptionis; indulgisse tamen, ut, qui vellent, pro libito recitarent, idque frequenter factum, etiam Romæ, annuente Pontifice; Quod etiam testatur Bachon, atque hoc esse quod ait Concilium, *per Romanam Ecclesiam antiqua consuetudine celebrari*; non enim dixit à Romana Ecclesia.

283 Quarto certum est, à tempore Sixti IV. qui ab Ordine Minorum assumptus est ad Pontificatum ann. 1471. festum hoc solemniter celebratum esse in tota Ecclesia, ex præscripto Sedis Apostolicæ. Id probat optime Calderon eo cap. 6. num. 8. ex Extravagantibus editis ab hoc Pontifice: nam in Extravaganti, *Cum præexcelsa*, quam edidit ann. 1476. & quæ simul cum alia *Grave nimis* edita ann. 1483. inserta est Corpori Juris Canonici, li. 3. Extravagantium communium sub titulo de Reliquijs, & veneratione Sanctorum, in hac inquam, Extravaganti, *Cum præexcelsa* tria præstat Pontifex, primò supponit se approbasse Officium Leonardi Nogueolis; secundo, instituisse Missam, & Officium; tertio, concessis Indulgentijs, hortatur, & (ut ipse loquitur) *invitat unversos Christi fideles utriusque sexus, ut pro suo* quis-

quisque munere aut Missam, aut Officium celebrent, aut intersint celebrationi. Approbatio licitam facit recitationem: indulgentiarum concessio ad eam invitat; institutio verò Missæ, & Officij aliquid amplius præ se fert, nempe collocationem in Calendario, & libris sacris, quibus Ecclesia Romana in Officio Divino vitur. Non enim idem est approbare Officium, & instituire; approbat sæpius Romana Ecclesia officia aliquorum Sanctorum, conceditque aut Religiosis ordinibus, aut aliquibus Ecclesijs, ut ea celebrent; non tamen propterea instituit, quoad in Calendarium Romanum non admittit.

284 Nunc verba Sixti audiamus. *Statuimus, &*  
 ordinamus quod omnes, & singuli Christi fideles  
 utriusque sexus, qui Missam, & Officium eiusdem  
 Virginis gloriosæ, iuxta piam, devotam, & laudabilem  
 ordinationem prædicti Magistri Leonardi No-  
 guerolis Clerici Veronensis, Notarij nostri (ecce approbat Officium) & quæ desuper à nobis emanavit  
 Missæ, & Officij huiusmodi institutionem (ecce instituit) in die festivitatis eiusdem Virginis Mariæ, & per  
 Octavas eius devotè celebraverint, & dixerint, aut  
 illis horis Canonicis interfuerint; quoties id fecerint,  
 eandem prorsus Indulgentiam, & remissionem peccatorum consequantur, &c. Cùm ergo Pontifex non solum commendat, & laudet Officium Conceptionis, hoc est, approbet; sed etiam affirmet, à Sede Apostolica emanasse eius institutionem; manifestum videtur Ecclesiam Romanam, sub hoc Pontifice, non solum approbasse huiusmodi Officium, & alijs concessisse; sed etiam suo Calendario, Missali, & Breviario insertum celebrasse.

285 Id etiam probat ex altera Extravaganti, *Grave nimis*: in qua ad reprimendam quorundam prædicatorum

torum audaciam, qui publicè non erubescerent affirmare, omnes illos, qui tenebant, aut assererent, B. Virginem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, aut esse hæreticos, eorum assertiones ut erroneas, & à veritate penitus alienas damnavit, & sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Sedi Apostolicæ reservatæ, mandavit, ne in posterum hoc prædicare, sentire, vel asserere audent, & pro ratione huius prohibitionis præmisit verba hæc: *Sanè cum Sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc Officium ordinaverit, &c.* Manifestum est ergo Sixtum IV. non semel affirmasse Sanctam Romanam Ecclesiam celebrare festum Conceptionis, & speciale, ac proprium Officium ordinasse.

286 Unde laudatus D. Calderon deducit, manifestè falli eos, qui existimant, festum Conceptionis in Ecclesia Romana, aut cœpisse tantùm à reformatione Breviarij Romani sub Pio V. ann. 1568. aut certè non fuisse ab Ecclesia celebratum sub Sixto IV. sed tantùm permissum, & concessum uti volentibus: *Etenim tempore Sixti Ecclesiam Romanam celebrasse hoc festum, & quidem publicè, & solemniter, ex testimonio eiusdem Pontificis aperitissimum est, inquit Calderon.*

## § I.

*Pius V. nihil derogavit veritati mysterij  
Conceptionis Immaculatæ, dum à Breviario  
expunxit Officium Leonardi  
Noguerolis.*

287 **C**entum ferè annis Ecclesia Romana vfa est in Breviario Romano Officio Conceptionis ordinato à Leonardo Noguerolis, & approbato à Sixto IV. sed postea Pius V. anno 1568. illud expunxit è Breviario Romano, & loco illius introduxit Officium Natiuitatis, mutato nomine *Natiuitatis* in nomen *Conceptionis*. In quo, vt inquit noster Eusebius in Opusculo de perpetuo obiecto festi Conceptionis, cap. 8. sequutus est Anselmum: quia sicut Anselmus Officium Natiuitatis tradidit Ecclesijs, vt eodem vterentur in die Conceptionis, mutato solum nomine *Conceptionis*; id ipsum iussit Pius V. qui potius restituisse videtur Officium S. Anselmi: sicut autem in Sancti Anselmi Officio vocatur *Conceptio sancta*, sic etiam in Officio Pij V. nam octavo responsorio dicitur: *Sentiant omnes tuum inuamen quicunque celebrant tuam sanctam Conceptionem.*

288 Assumptum probatur: quia causa, ob quam Pius V. Officium Leonardi Noguerolis sustulit è Breviario Romano, non est quia Pontifex iste iudicaret, non esse colendam Conceptionem Immaculatam, aut non esse decorandam hoc titulo, vt falsò existimavit Libellator Romanus; hoc enim perinde foret, ac iudicare Ecclesiam totam centum retrò annis errasse colendo, vt

Immaculatam; Conceptionem Virginis, quæ Immaculata non fuit, quod de tanto Pontifice præsumi non potest. Non ergo id fecisse credendus est ( inquit P. Suarez, disp. 3. sect. 5. ) quia aliquod falsum in illo Officio contineretur; sed quia omnia voluit ad antiquum morem revocare: sicut etiam B. Annam, & B. Rochum è Calendario expunxit, quo nihil eorum Sanctitati derogatum est; sed, vt notavit D. Antonius Calderon, cap. 9. num. 5. id fecit ob iustas causas venerationi huius mysterij non contrarias. In primis enim Officium Nogerolicum variè à diversis recitabatur, prout cuique liberat, aut contrahere, aut immutare. Præterea habebat admixtas sententias aliquorum Doctorum, quos Ecclesia Romana Sacræ, & solemni Læctioni non admittit, vt Origenis, & Richardi Victorini, homiliam etiam fortasse ab ipso Leonardo compositam, certè novam, & sine authore. Rursus, Læctiones Nocturnorum non erant iuxta normam Romanam ordinatæ: Ecclesia enim Romana consuevit Læctiones primi Nocturni desumere ex Sacra Scriptura, secundi ex aliquo Sanctorum Patrum, tertij ( prælibatis prioribus Evangelij verbis ) ex homilia, aut commentario alicuius Sancti in ipsum Evangelium. Hæc autem longe se habent in Officio Leonardi; quin primi, & secundi Nocturni Læctiones ex Doctorum, & Patrum sententijs contexuit: Versiculos etiam nescio quos per singulos Psalmos ad Matutinum præter Antiphonas addidit, vt meritò Pius, qui ex præscripto Concilij Tridentini Missale, & Breviarium reformandum, & ad antiquam formam redigendum suscepit, ab Officio illo Nogerolico abstinuerit.

289 Nec credendum est tantum Pontificem hanc mutationem fecisse, vt faveret opinioni Patrum Dominicanorum, qui tunc temporis non celebrabant in multis Provincijs 8. Decembris solemnitatem Virginis

sub nomine Conceptionis ; sed sub nomine Sanctificationis. Sed potius mirè favisse veræ sententiæ de Immunitate B. Virginis à culpa originali , dum instituit Officium illud sub nomine Conceptionis, prout antea recitabatur , obligans omnes fideles , qui ad Horas Canonicas tenentur , vt illud sub hac forma celebrarent, dum enim eisdem verbis decrevit celebrari festum Conceptionis, quo in Ecclesia à multis sæculis celebrabatur festum Nativitatis, solo mutato nomine Nativitatis in nomen Conceptionis , nobis validissimum argumentum subministravit ad probandum, Conceptionem Virginis fuisse sanctam , nimirum illud ipsum, quo Sanctus Ildelphonus , S. Bernardus , S. Thomas , & Divus Bonaventura probavêre B. Virginem fuisse sanctificatam in utero , quia Ecclesia tota celebrat eius Nativitatem, quam minimè celebraret , si sancta non fuisset.

290 Pro quo nota ex D. Antonio Calderon , cap. 13. num. 19. duo Officia B. Virginis sub titulo Sanctificationis reperiri in antiquis Breviarijs Dominicanorum. Primum, quod composuit M. Fr. Vincentius Bandellus de Castronovo, qui electus est Magister Generalis totius Ordinis Prædicatorum ann. 1501. & obiit ann. 1506. qui in speciali tractatu acriter in vectus est in sententiam piam de Immaculata Virginis Conceptione, sapè affirmans, illam esse contra omnes Patres, tantoque ardore contra Immaculatam Conceptionem scripsit, vt, teste Ægidio Lusitano , lib. 3. de Conceptione, q. 5. art. 5. num. 11. pag. 254. turpiter in hac materia erraverit, asserens, opinionem, quæ affirmat B. Virginem peccatum originale contraxisse, ex solo communi Patrum consensu esse de fide , & oppositam esse reiiciendam tanquam hæreticam. Et Bandellum abs dubio notat Catherinus in disput. pro Immaculata Conceptione, dub. 1. pag. 9. dum cum suis Dominicanis loquens , inquit:

*Est*

*De certitudine mysterij Concept.* 213

Est, & ex vestris alijs, qui usque adeo ausus est, ut non sit veritus in medio Ecclesie, etiam opusculis editis hanc (quam vniversa ferè recipit Ecclesia, ac festiva celebritate, solemnibus Officijs, ac Missis honorat) non tam ut opinionem, sed ut sententiam hereticam esse asserere. In hoc Officio à Banello composito, quod extat in Breviario excusso Venetijs ann. 1546. sæpè dicitur B. Virginem contraxisse peccatum originale, ut testatur Calderon. Alterum Officium Sanctificationis postea editum est à Sacra Familia Prædicatorum cum maiori cautela: nihil enim habet proprium, præter Lectiones ex libro Ecclesiastici, & Sermone Petri Damiani; cætera desumuntur ex Officio Nativitatis, mutato vocabulo in Sanctificationem, ut constat ex Breviario excusso Salmanticæ ann. 1579. ac proinde in hoc Officio nihil continebatur, quod significet B. Virginem fuisse conceptam in peccato; sed ab hoc præscindebatur, & celebrabatur Sanctificatio B. Virginis in utero ante Nativitatem, prout erat certum apud omnes Catholicos, præscindendo ab eo, quod hæc Sanctificatio fuerit præservativa, & in primo instanti, vel emundativa à culpa iam contracta aliquo tempore post infusionem animæ. Et tempore, quo Ambrosius Catherinus scripsit disputationem pro Immaculata Conceptione in tres libros distributam, cuius editionem anni 1542. vidi, in cuius Proœmio dicit, se iam dudum hoc argumentum tractasse, licet in plerisque Provincijs suæ Religionis recitaretur Officium Sanctificationis, iam non recitabatur Officium Sanctificationis Banellicum, in quo negabatur immunitas Deiparæ à peccato; sed aliud, in quo nihil contra hoc dicebatur.

291 Audiamus quid de hoc scripserit Catherinus: nam lib. 1. illius disputationis, cap. 8. cum commendasset ritum communem celebrandi hoc festum sub nomine Conceptionis, inquit: *Nam verè sub hoc no-*  
*mine*

mine festum istud in vniverſo Christiano orbe ab omnibus celebratur Ecclesijs, & iam communiter omnes Ordines, vt par erat, receperunt, nostro duntaxat excepto, qui etiam in hoc diuisus est: nam in toto Christianissimo Regno sub eo nomine absque vllò scrupulo Fratres nostri eam celebrant *solemnitatem*.

292 Postea autem, lib. 3. paullò post initium, pag. 64. cum expendisset argumentum pro Immaculata Conceptione, desumptum ab autoritate Ecclesiæ celebrantis solemnitatem Conceptionis, Dominicanos redarguit, quòd in Italia non celebrant hoc festum sub nomine Conceptionis; cum omnes tandem Ecclesiæ, & quæ est omnium aliarum Mater, & Magistra, hoc ipsum aperitissimo ore celebret, & statim pro defensione suæ familiæ, & avertenda nota, quæ illi inuri poterat dum recitauit Officium Bandellicum, subdit. *Nolo tamen latere quemquam, etsi nostri celebrent in Italia de Sanctificatione; nihil tamen contrarium veritati eos celebrare, quod multi nescierunt; non enim repugnat Conceptioni Immaculate Sanctificatio, &c.* est post pauca, subdit: *Quod & valde notandum est, ne quis putet ab Ordine nostro in Italia celebrari mendacium, & contrarium celebrationi Conceptionis.*

293 Itaque quia Patris Dominicani verissimum ex iltimabant, B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali, & quia, dum Sixtus IV. invitavit omnes fideles ad celebrandum festum Conceptionis, id non præcepit, non admiserunt, saltèm in Italia, illud festum sub nomine Conceptionis; sed sub nomine Sanctificationis, illudque prius celebrarunt, saltèm in aliquibus cœnobijs cum Officio composito à Vincentio Bandello, in quo (inquit D. Antonius Calderon in sua Apologia, cap. 13. num. 19. pag. 612.) sæpius asseritur, B. Virginem contraxisse maculam peccati originalis, & iterum, cap. 14. num. 10. pag. 624. vbi fatetur Officium Bandelli paucis annis du-

durasse, nec ab vniverſo orbe admiſſum fuiſſe, ſub-  
iungit: *Imò nec tota Italia; ſed in aliquibus fortasſe cœnobijs,*  
*quod etiam inſicias iri poſſet optaremus, niſi extaret in Bre-*  
*viarijs excuſiſis anno 1527. & 1546. quod iterum repetit,*  
*cap. 14. num. 9. inquit: Officium Bandelli expreſſe pro-*  
*fretur B. Virginem incurriſſe maculam peccati originalis. Et*  
*niſi eſſet ab hoc Authore, qui Breviaria illa legit, expreſ-*  
*ſe aſſertum, ego minimè crederem; ſed potius ſequerer*  
*iudicium noſtri Salmeronis, qui lib. 2. in Epilt. ad Ro-*  
*manos, diſp. 52. contendit, per feſtum Sanctificationis*  
*nihil celebrari contrarium Immaculatæ Conceptioni,*  
*ſic enim ait: Nemo ergo credat contrarium celebrari ab alijs*  
*celebrantibus de Sanctificatione atque ab Eccleſia Romana ce-*  
*lebratur; alioquin eſſet ſchiſma horrendum, & intolerabile.*

294 Poſteà tamen Religioſè, & ſapienter Religio  
Dominicana Ofâcium illud Bandellicum expunxit à ſuo  
Breviario; & aliud de Sanctificatione appoſuit, in quo  
nihil continetur contra Immaculatam Conceptionem;  
ſed celebratur Sanctificatio, præſcindens ab eo, quòd  
fuerit in primo inſtanti animationis, vel in alijs. Idque  
notavit Caietanus in Opusculo de Conceptione, cap. 5.  
vbi explicans, quo ſenſu celebretur feſtum Conceptionis,  
inquit: *Conſtat, quòd à quibuſcumque Catholicis celebra-*  
*tur hoc feſtum; celebratur ratione Santificationis B. Virginis*  
*in utero matris, ſive illa Santificatio fuerit præueniens, &*  
*quæſi præoccupans peccati originalis actualem incurſum, vt opi-*  
*nio iſta dicit, ſive fuerit mundans ab originali tam contracto,*  
*vt altera dicit opinio.*

295 Quamvis autem ante Pium V. licitum fuerit  
Patribus Dominicanis ſolemnitatem Conceptionis ce-  
lebrare ſub nomine Sanctificationis; licitum tamen non  
fuit poſt Bullam Pij V. quæ incipit. *Quod à nobis editam*  
*ann. 1568. in qua omnibus impoſitum eſt præceptum*  
*celebrandi illud feſtum iuxta mentem, & ritum Ro-*

manæ Ecclesiæ, idest, sub nomine Conceptionis, vt probat D. Antonius Calderon, cap. 13. & 14. qui validè impugnat Libellatores Romanos, qui libello 10. num. 2. dixerunt, *ante Gregorium XV.* (qui ann. 1622. præcepit vt in Sacro-sancto Missæ sacrificio, ac Divino Officio celebrandis tam publicè, quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine vtantur Sacerdotes tam sæculares quàm regulares) *non adesse præceptum, vt in vniuersa Ecclesia sub vnico nomine Conceptionis hoc festum celebraretur.* Imposuit, inquam, præceptum Pius V. omnibus Sacerdotibus celebrandi festum Conceptionis sub nomine Conceptionis: nam Breviario Romano inseruit Officium Conceptionis, vt modò habetur, iussitque vt omnes, sublati proprijs Breviarijs, iuxta Romani normam Officium Divinum persolverent, vt constat ex illo decreto Pij, quod fronti Breviarij Romani præfixum est.

296 Et quamvis Pius permiserit Ecclesijs, & Ordinibus, quorum specialia Breviaria ducentos annos excesserint, vt liberè in eo vsu persistant; tamen nec Officium Sanctificationis fuerat à totoOrdine Dominicanorum receptum, quod erat necessarium, vt diceretur Breviarium Ordinis Dominicani, & frueretur privilegio Breviarium illud Officium continens: non enim est Breviarium Diocesis, aut Ordinis, nisi illud, quod vniuersa Diocesis, aut Ordo vtitur; nec Breviarium continens Officium Sanctificationis excesserat ducentos annos; imò neque centum compleverat, vt disertis verbis testatur Catherinus in disputatione ad Patres Concilij Tridentini, part. 2. vbi diferens superfluum esse speciale festum sub nomine Sanctificationis, ita scribit: *Ecclesia Nativitatem celebrabat, in qua Sanctificatio in vtero celebrabatur, sicut testatur D. Bernardus: sic Sanctificatio B. Ioannis Baptiste honoratur, dum eius Nativitas celebra-*

*ur.* Nunquam ergo celebravit sub nomine Sanctificationis; sed dies ille infestivus in Ecclesia *transibat*. Subdit præterea: *Festum autem Sanctificationis postmodò superfluè est introductum ad emulationem adversus Ecclesiam, quæ sub nomine Conceptionis celebrabat.* Quibus verbis manifestè asumat, inquit Calderon, festum, & Officium Sanctificationis cœpisse post institutionem festi Conceptionis factam à Sixto IV. Quamvis enim ante hunc Pontificem plures privatae Ecclesiae festum Conceptionis celebrabant; non tamen Romana, vt supra vidimus ex Turcremata, qui centum tantum annis ante Pium V. floruit, & obiit ann. 1468. Catherinus autem Romanam comprehendit, dum absolutè de Ecclesia loquitur: non enim dicitur facere Ecclesia, quod non facit Romana: id quod etiam patet ex exemplis ab ipso adductis Nativitatis B. Virginis, & Joannis Baptistæ: Ecclesia enim celebrans festum Nativitatis est Ecclesia Universalis ex præscripto Romani Pontificis. Cùm ergo testatur festum Sanctificationis introductum postquam Ecclesia celebrabat festum sub nomine Conceptionis, planum fit festum Sanctificationis post institutionem Sixti IV. inventum fuisse à Dominicanis, ne celebrantes festum Virginis 8. Decembris cum Officio Nogueroico approbato à Pontifice, & in Breviarium Romanum assumpto, viderentur confiteri B. Virginem fuisse præservatam ab originali: ergo evidens est, Officium Sanctificationis à Dominicanis inventum, non habuisse ducentos annos, cùm Pius V. anno 1568. præcepit vt omnes celebrarent festum hoc iuxta normam Breviarij à se reformati: siquidem ab ann. 1476. in quo Sixtus IV. festum Conceptionis in Ecclesiam Universalem admisit vsque ad illum Motum-proprium Pij V. solùm præterire 92. anni. Imò Officium Sanctificationis multò post videtur cœpisse: nam primum Officium Sanctificationis, quo vsi sunt Dominicani (inquit Calderon, cap.

13. num. 19. ) est, quod composuit Vincentius Bandellus de Castronovo; is autem edidit illud cum esset Generalis totius Ordinis, ut ex præfato Breviario constat; electus verò fuit ann. 1501. & obiit ann. 1506. vnde ad summum festum Sanctificationis, & consequenter Breviarium Dominicanorum hoc festum continens sub hoc nomine, habebat ad summum sexaginta tres annos antiquitatis, cum prodijt Motus-proprius Pij V. qui Breviarium Romanum reformavit.

SECT. XIX.

*An Conceptio formalis, seu infusio animæ  
B. Virginis in corpus, quam celebrat  
Ecclesia octavo Decembris, eo  
die contigerit?*

297 **R**atio dubitandi est, quia communiter Doctores apud P. Layman, tom. 1. pag. 358. num. 3. arbitrantur masculinam rationalem animam accipere quadragesimo die à Conceptione materiali, seu generatione; foeminam verò octogesimo, ducto argumento ex cap. 12. Levitici; quasi tibi præceptum fuerit; ut quot diebus mater immundum, & animam non informatum foetum utero portasset; totidem diebus post partum immunda censeretur. Lesius verò, lib. 2. cap. 9. num. 65. licet existimet; nullam esse rationem, cur tanta sit discrepatio inter marem, & foeminam; ex Hypocrate probat maris formationem absolvi aliquando die trigesima; aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. foeminæ verò nunc 35. nunc 40. nunc 45. nunc 50. & ex Scriptura rectè probat tunc foetum animari; cum perfectè formatus est; ita ut in eodem instanti; quo absolvitur, & perficitur formatio, & or-

ganizatio, infundatur anima, nimirum ex capite 2. Exodi, vbi iuxta versionem septuaginta dicitur: *Qui percusserit mulierem pregnantem, & illa abortum fecerit; si foetus erat formatus, dabit animam pro anima; si nondum erat formatus, multabitur pecunia.* Hoc supposito, si Conceptio formalis B. Virginis, seu infusio animæ rationalis in eius corpus contigit 8. Decembris, sequitur B. Virginem post animationem fuisse integris novem mensibus in vtero Annæ; ante animationem autem fuisse vel octoginta diebus, vel saltem quadraginta, vel vt minimum, triginta quinque, sequendo sententiam Hypocratis; sequela autem est absurda: quia foetus humanus à primo die Conceptionis materialis, in quo incipit formari solum regulariter existit novem mensibus in vtero, vt docent Hypocrates, & Galenus apud P. Puente Hurtado, disp. 2. de generat. & constat ex illo Machabæor. 2. cap. 7. v. 27. *Fili mi, miserere mei, qui te novem mensibus in vtero portavi; & ideò Christus Dominus, qui in nascendo sequutus est ordinem naturæ novem integris mensibus exitit in vtero B. Virginis; & non amplius: nam ab eo instanti, in quo virtute Spiritûs Sancti formatum est sanctissimum eius corpus ex purissimo B. Virginis sanguine ad diem Nativitatis transferunt novem menses; & quamvis totis novem mensibus sanctissimum illud corpus fuerit animatum intra vterum Virginis, id ideo contigit, quia in ipso instanti, in quo formatum est, creata est anima, & ipsi est vnita, & vtrique tam animæ, quàm corpori vnita est hypostasis Verbi in eodem momento. Corpus autem B. Virginis, vtpote formatum viâ ordinariâ, indiguit successione temporis ad sui organizationem, & aliquo tempore existit in vtero matris, antequam illi infunderetur anima.*

298 Ad fugiendam hanc difficultatem, quæ, vt supra vidimus, movit D. Bernardum ad existimandum

Canonicos Lugdunenses celebrantes festum 8. Decembris in honorem Conceptionis, eo die celebrare Conceptionem materialem, seu generationem carnalem B. Virginis, quod illi apparebat absurdum: quia existimabat in illa Conceptione libidinem aliquam non defuisse, & ideo dicebat: *Quomodo peccatum non fuit, ubi libido non defuit?* Quod sanè non dixisset, si arbitraretur à Lugdunensibus non celebrari Conceptionem carnalem Virginis; sed creationem animæ, & infusionem ipsius in corpus, in qua Conceptione nulla potuit esse libido. Ad hanc, inquam, difficultatem fugiendam, respondent aliqui, Ecclesiam quidem non celebrare Conceptionem materialem Virginis; sed Conceptionem formalem, seu infusionem animæ in corpus; cæterum quia ignorat, quo die hæc secunda conceptio contigerit, ideo illam celebrare 8. Decembris, in quo accidisse creditur prima conceptio materialis per congressum Joachimi, & Annæ. Ita sentit P. Vazquez 3. p. disp. 117. num. 10. 9. ubi inquit: *Fatemur sanè 8. Decembris non fuisse conceptam B. Virginem secundum esse humanitatis per animationem materiæ, sed eo die conceptum solum fuisse semen in utero matris; nam ab eo die usque ad octavum diem Septembris computantur novem menses, quibus completur tempus partus à die Conceptionis seminis; sed ratione animationis verum festum celebratur; non ratione Conceptionis seminis: quia certius de priori Conceptione constat, quàm de posteriori.* Cui sententiæ subscribit P. Aldrete in controversia de Conceptione, disp. 1. sect. 6. num. 12.

299. Huic tamen placito ego acquiescere non possum: nam præcipuum fundamentum celebrandi festum Conceptionis desumptum est ex revelatione facta Abbati Helvino circa ann. 1085. quam publicavit S. Anselmus, & ob illam in Anglia introduxit festum Conceptionis, ut constat ex eius Epistola ad Episcopos Angliæ, quam scripsit postquam creatus est Archie-

chie-

chiepiscopus Cantuariensis ( creatus est autem ann. 1092 ) quam Epistolam approbat Baronius in Notis ad Maryrologium 8. Decembris. Illi autem Sancto Abbati præcepit Angelus , vel Sanctus Nicolaus ei apparens, vt hoc festum celebraretur 8. Decembris : nam cum medio in mari sævissima tempestate iactaretur , & ardentissimas ad Deum , & ad B. Virginem funderet preces , ei dixit : *Vis periculum maris evadere ? Promitte Deo , & mihi, quòd diem Conceptionis , & creationis Matris Domini nostri Iesu Christi solemniter celebrabis , & celebrandum predicabis.* Et postmodum illi assignavit diem, in quo hoc festum celebrandum erat , & quodnam Officium in eo recitandum esset , nempe Officium Nativitatis B. Virginis, mutato nomine *Nativitatis* in nomen *Conceptionis* , vt latè narrat Regestum Franciscanum à colum. 3. ad 8. Constat ergo ex revelatione illa 8. Decembris celebrari creationem B. Virginis ; At B. Virgo solum dicitur creari in eo instanti , in quo eius anima creata est , & infusa corpori : ergo constat celebrari 8. Decembris infusionem animæ B. Virginis in eius corpus. Quis autem sibi persuadeat Deum iussisse vt celebraretur illa infusio eo die , in quo non contigit ? Ergo fatendum est 8. Decembris factam fuisse Conceptionem secundam , seu formalem B. Virginis , quam eo die celebrat Ecclesia.

300 Circa tempus , quo infusa est corpori anima B. Virginis non parùm discrepant Doctores. Henriquus Gandavensis , quod lib. 15. q. 13. existimavit , ante animationem per menses aliquot corpus B. Virginis fuisse dispositum. Idem docuit Peramatus Medicus in tractatu de eo, quod miraculosè accidit in Conceptione B. Mariæ. Idem sentit Gonçalus Durandus in notis ad librum 1. revelationum Sanctæ Birgittæ. Et quidem Sancta hæc in Sermone Angelico de Virginis excellentia iudicare videtur post Conceptionem feminalem non

parum temporis intercessisse. Idem insinuat Anselmus, lib. de Conceptione Mariæ: item Damascenus, qui in orat. 1. de Nativitate Mariæ, inquit: *O præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus, formatusque est foetus Sanctissimus!*

301 At P. Granados, disp. 3. cap. 1. sect. 2. & cum eo D. Antonius Calderon, cap. 7. suæ Apologiæ pro titulo Immaculatæ Conceptionis, num. 29. & venerabilis noster Eusebius in tractatu de perpetuo obiecto festi Conceptionis, & Uldericus apud Carthusianum in 3. dist. 3. quæst. 1. existimant eodem die 8. Decembris, quo seminum commixtio contigit, & coepit formari foetus, infusam fuisse animam corpori, præcedente per aliquot horas organizatione. Idem docuit V. Amadeus confessor Sixti IV. qui raptu 4. ait Sanctum Gabrielem sibi revelasse materiam Conceptionis futuri corporis Deiparæ in ipsa nocte congressionis parentum purissimam fuisse, & secundam Conceptionem instructam rationali anima sex horis post commixtionem paternorum seminum peractam. Idque multis argumentis persuadet P. Eusebius, præsertim ex revelatione facta Helvino, in qua *iussus est celebrare diem Conceptionis & creationis B. Virginis*: nam verba illa, dum coniungunt Conceptionem cum creatione, videntur innuere eadem die accidisse Conceptionem materiale per commixtionem seminum, & Conceptionem formalem per creationem animæ, & infusionem in corpus; cui tamen coniecturæ facile occurret, si dicas nomen Conceptionis ibi non supponere pro prima Conceptione materiali; sed pro Conceptione personæ & creationis adiungi nomen, ad magis explicandam Conceptionem, quam Deus celebrari volebat. Probat præterea ex lib. 1. revelationum Sanctæ Birgittæ, cap. 9. vbi B. Virgo Sanctam viduam alloquens, & de parentibus suis Joachimo, & Anna loquens, inquit: *Ex Charitate Di-*

*De certitudine mysterij Concept.* 223

*vina, & ex verbo Angeli nuntiantis conveniunt carne; non ex concupiscentia aliqua voluptatis; sed contra voluntatem suam ex Divina dilectione: & sic ex semine eorum per Divinam charitatem caro mea compaginata est: facto autem corpore meo, Deus à Divinitate sua animam creatam immisit corpori; & mix animæ cum corpore Sanctificata est. Verùm quævis ex hac revelatione colligatur non intervenisse, inter primam, & secundam Conceptionem tot dies, quot existimantur Henriquus, & Peramatus; colligi non potest; animæ infusionem factam esse in ipso die Conceptionis carnalis.*

302. Quapropter, multis prætermisissis, quæ circa hoc dici possent, mihi maximè arridet sententia alia, quæ modo circumfertur, affirmans primam Conceptionem B. Virginis factam esse initio Decembris in die Domianica per correspondentiam ad primam diem creationis mundi, in qua conditi sunt Angeli, in quorum Reginam electa fuerat B. Virgo; Conceptionem verò secundam factam esse septima die à prima, idest, Sabbato proxime sequenti 8. Decembris per correspondentiam ad septimum diem, in quo perfecta est creatio, & Deus quievit ab omni opere quod patraverat, & tunc in eodem instanti, in quo anima illa creata, & infusa est corpori, eximij gratiæ dotibus fuisse ornata, & ideo diem Sabbati specialiter deputatum fuisse cultui B. Virginis: quia Divina omnipotentia, septem illis diebus perfectius organizavit, & disposuit corpus ad infusionem animæ, quam virtute solius naturæ solet disponi corpus fœmineum ad receptionem animæ intra longum illud tempus, quod Medici, & Philosophi assignant, vel octoginta, vel quinquaginta, vel quadraginta dierum. Quare sententia hæc affirmat, ab Ecclesia non celebrari primam Conceptionem Virginis, quæ accidit initio Decembris; sed secundam, seu animationem, quæ facta est 8. Decembris; asseritque B.

Virg

Virginem post animationem novem mensibus fuisse in utero matris; & ita mira datur correspondentia inter Matrem, & Filium, de quo constat novem mensibus à die creationis animæ Sanctissimæ, & infusionis in corpus, & assumptionis à Verbo, inclussum esse in utero B. Virginis. Favet huic placito V. Virgo Marina de Escobar, ut colligitur ex 1. parte vitæ ipsius, lib. 4. cap. 28. §. 1. in fine, & hæc sententia magis concordat revelationibus Sanctæ Birgittæ, & Helvini, vel Helsingii Abbatissæ, quàm aliæ, & ideo præ cæteris mihi placet.

303 Sanè illustris hæc fœmina V. Marina de Escobar, vitæ sanctitate toti orbi nota, mysterium Conceptionis maximè illustravit, eiusque testimonium intra limites testimonij humani nondum ab Ecclesia qualificati maximum pondus habet, & pluribus è familia Dominicana magnis viris sententiam piam persuasit, eamque aliqui publicè propugnaverunt, & ob hanc fortitudinem singulari coronâ à Deo donati sunt, ut constat ex lib. 4. vitæ ipsius, cap. 31. §. 1. & Provinciali Ordinis Prædicatorum Epistolam scripsit, in qua: *Veritas, inquit, infallibilis est, B. Virginem Dominam nostram sine peccato originali fuisse conceptam, & hoc à Deo ipso scio, qui veritas infallibilis est, qui nec falli, nec fallere potest.* Ita lib. 4. cap. 9. §. 1.

304 Concluditur ex dictis, Immaculatam Virginis Conceptionem esse nunc proximè definibilem. Hæc illatio ex dictis est evidens, nec vllum Sanctum Romanus Pontifex unquam canonizavit, ad quem canonizandum habuerit tot, tamque efficacia argumenta, quanta nunc habet Ecclesia ad declarandum, & definiendum B. Virginem fuisse ab originali labe præservatam.

FINIS.

# A P P E N D I X

## AD SECTIONEM XIV. TRACTATUS

### Theologici de Certitudine Mysterij Conceptionis.

*In fine §. 1. in quo probatur certitudo moralis sententiæ piæ à revelationibus, pag. 111. addendus est casus sequens.*

**R**evelationibus præcedentibus placet annectere successum quendam mirabilem, qui narratur in vita Venerabilis P. Ludovici à Ponte nostræ Societatis lib. 1. cap. 2. §. 4. quo veritas sententiæ piæ non parum confirmatur. Referam autem eisdem verbis, quibus rem narrat P. Henricus Lampater in vita Latinâ, quam typis excussit Ingolstadij anno 1662. in compendium redigens ea, quæ anno 1652. fufius scripserat P. Franciscus Cachupin; Societatis nostræ Theologus & Qualificator sacri Officij Inquisitionis, Provincialis postmodum in Provincia Castellana, & Visitator in Provincia Bætica.

Igitur historicus argumenta afferens, quibus P. Ludovicus in vocatione sua ad Societatem roboratus est, casum sequentem narrat. Placuerat ei semper opinio illorum, qui Beatissimam DEI Matrem sentiunt nunquam fuisse inquinatam labe originalis peccati. Sed cum in disputatione quadam se passus fuisset, vi rationum, abduci de pia illa sententia in contrariam, statim ut abiit ex auditorio, inusitata mentis ariditate, ac tædio fuit obrutus. Excussit igitur omnes conscientie suæ latebras, eoquid inveniret in ea culpa, vel etiam imperfectionis (nam & minùs perfectè à se factorum rationem habere iam tum assueverat) unde sibi oboriri

paruerit ea nausea: cumque nihil deprehendisset eiusmodi, ad moderatorem animi sui se conuertit, Sacramenta suscepit, si forte sic rediret letitia & serenitas pristina: sed nihil quidquam profecit. Iterum ergo ad questionem vocat à conscientia, recordatus est se recessisse à pristina opinione, de illibata Conceptione Deiparæ. Et hanc sui mali causam statuens, voto se obligavit, semper tenendi firmiter communem piorum sententiam: quo facto mox pristinus ei sensus pietatis, cum serenitate ac solatio interiore, est redditus.

Quia verò per votum illud non voluerat prohibitum, opinionem illam in Scholis, exercitij causa, ex mente aliena, Magistrorum suorum, defendere, existimans id satis esse, si suam sententiam, quam teneat animo, tantisper dissimularet, donec res peteret exprimi, quid reuera sentiret: Magna Virgo mirabili modo demonstravit, se aliquid amplius ab eo exigere, & ne per ludum quidem velle ab eo propugnari opinionem adversam. Nam cum eius Doctores illam Ludovico tutandam coniecissent in Theses, & iam esset ascendendum in certamen, omnem subito & questionis, & argumentorum memoriam funditus exemit ei, quantum vis antea instructissimo. Notavit unde sibi provenerit inexpectata rerum, tam bene comprehensarum, ignorantia & oblitio; & mox provolutus ante aram Virginis, novum, & immortale votum sacravit, nunquam posthac ullo modo, ne disputationis quidem gratia, præferendi, vel sustinendi illam sententiam, dummodo id sibi in presentiarum concedat; ne Doctoribus ad impugnandum paratis, & condiscipulis, videatur voluisse illudere. Et, mirum dictu, statim restituta est ei memoria presentissima omnium, que antea comprehenderat: quod iure iurando testati sunt Patres, Gaspar Brizenno, & Franciscus à S. Vincentio. Plurimum accendit ea res amorem eius erga Societatem, à qua sciebat constanter piam de Matre Dei opinionem defendi.

INDEX.

# I N D E X

## DISPUTATIONVM, SECTIONVM, & Paragraphorum huius Tractatus.

### *Disputatio Præambula.*

**A**N Romanus Pontifex errare possit in Sanctorum Canonizatione? Pag. 1.

*sect. 1.* Præambula quædam ad disputationem. Ibid.

*sect. 2.* Doctorum sententia. pag. 5.

*sect. 3.* Primum caput probandi, non posse Papam errare in Canonizatione Sanctorum: ex eo quòd tota Ecclesia teneretur errare, & ex multiplici instantia ad hominem contra Magistrum Cano. p. 9.

§. 1. Instantiæ ad hominem contra Magistrum Cano. p. 11.

*sect. 4.* Secundum caput probandi eandem veritatem ad hominem contra Caietanum, & Cano: ex eo quòd Romanus Pontifex non possit errare in decretis Fidei. p. 14.

*sect. 5.* Tertium caput probandi eandem veritatem: ex eo quòd non possit Papa errare in præceptis morum, quæ

toti imponit Ecclesiæ. p. 21.

*sect. 6.* De Fide est, homines canonizatos esse verè Sanctos, ac proinde non posse Papam errare in Sanctorum Canonizatione. pag. 24.

*sect. 7.* Solvuntur ex dictis fundamenta Caietani, & Cæni. pag. 33.

*sect. 8.* Solvitur argumentum ostendens non esse de Fide, Sanctos canonizatos esse in Cælo. pag. 35.

*sect. ult.* An Papa possit errare in Sanctum Beatificatione? pag. 37.

### *Disputatio secunda præcipuè intentata.*

In quo gradu certitudinis; infra Fidem, sit nunc sententia *Pia* de Immaculata Virginis Conceptione? p. 41.

*sect. 1.* An Ecclesia aliquando declaraverit, sententiam affirmativam cōtractio- nis peccati originalis esse probabilem? pag. 42.

Ff 2      *sect.*

*sect. 2.* An in Bullis Pontificum non solum sit prohibitum externè asserere; sed etià internè sentire, quòd mortaliter peccent tenentes sententiam rigidam de Conceptione Virginis Mariæ in peccato? pag. 49.

*sect. 3.* Quænam sint Constitutiones Sixti IV. quas Tridentinum præcipit observari circa Mysterium Conceptionis? pag. 54.

*sect. 4.* An Tridentinum sententiæ Piæ faverit, eiusque veritatem certiozem reddiderit, quàm antea erat? p. 62.

*sect. 5.* An ex actis, & historia Tridentini probetur, Patres illius Concilij propensos fuisse ad definiendam Immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem? p. 67.

*sect. 6.* An obiectum festi Conceptionis semper in Ecclesia Romana fuerit Conceptio naturalis Virginis, ratione gratiæ in primo instanti animationis? pag. 72.

*sect. 7.* An dici possit, ab Ecclesia Romana octavo Decembris non celebrari ipsam Cœceptionem naturalem; sed duntaxat Sanctificationem?

Ubi quænam Conceptio naturalis sit obiectum huius festi? pag. 75.

*sect. 8.* An Ecclesia octavo Decembris celebret Conceptionem formalem Virginis, non quia fuerit Sancta, sed relativè ad sanctitatem mox futuram? pag. 81.

*sect. 9.* An Ecclesia celebret Conceptionem Virginis, non quia fuit sancta; sed in gratiarum actionem, & quia fuit initium nostræ salutis? pag. 83.

*sect. 10.* An à tempore Gregorij XV. nomen *Conceptio* mutaverit significationem, & ab Ecclesia ex tunc celebretur aliquid indifferens ad sententiam *Piam*, & ad oppositam? pag. 88.

*sect. 11.* Quo pacto Gregorius XV. verè dicere potuerit, se nullum præiudicium inferre velle sententiæ minùs piæ in eo ipso Decreto, in quo iussit, ut, amoto *sanctificationis* vocabulo, omnes omninò hoc festum celebrent sub titulo, & nomine Conceptionis? pag. 92.

*sect. 12.* An Alexander VII. declaraverit, obiectum for-

formale festi Conceptionis esse sanctificationem Virginis in primo instanti animationis? pag.96.

sect. 13. An certum omninò sit, sententiam *Piam* esse saltem probabiliorem oppositâ? pag.99.

sect. 14. An sententia *Pia* sit moraliter certa? Ubi quid probet ratio D. Thomæ, quid Augustinus, & alij Patres senserint: quid in hac causa Scotus egerit, & cur sententia opposita fuerit communis tempore Divi Thomæ? pag.107.

§.1. Primum caput probandi certitudinem moralem sententiæ *Piæ*, à revelationibus. pag.109.

§.2. Secundum caput, ab absurdis doctrinæ oppositæ. pag.111.

§.3. Tertium caput probandi, ex eo quòd opposita sententia nullo solido Scripturæ fundamento nitatur. Pag.114.

§.4. Quàm validè hanc rationem D. Thomæ Scotus retorsit? pag.116.

§.5. Infertur ex dictis, inefficacem quoque esse ratio-

nem, qua D. Bonaventura probavit, Beatam Virginem conceptam fuisse in peccato originali. pag.119.

§.6. Caput quartum idem probandi, quia sententia contraria, in Patribus Ecclesiæ, sufficiens fundamentum non habet, vbi de mente Augustini. pag.121.

§.7. Quintum caput idem probandi: quia sententia minus pia sufficiens suffragium non habet in D. Bernardo, qui cõmuniter censetur præcipuus eius patronus. p.124.

§.8. Ostenditur, D. Bernardum, dum asserit, Conceptionem Virginis non fuisse Immaculatam, non loqui in sensu Scholasticorum de Conceptione formali personæ per infusionem animæ in corpus; sed de Conceptione materiali foetus per commixtionem seminum in matrice. pag.125.

§.9. Qua ratione inductus fuit S. Bernardus ad iudicandum, Canonicos Lugdunenses per festum Conceptionis celebrare Conceptionem primam, & materialem B. Virginis, & illos hac de  
cau-

causa reprehēdendos? p. 133.

§. 10. Sextum caput probandi: quia sententia opposita non habet in D. Thoma, & Scholasticis antiquis suffragium, vt modò dicatur absolute probabilis. p. 137.

sect. 15. An, & quo sensu opinio rigida possit nunc dici probabilis, vel opinio? ubi ostenditur, illam esse nunc absolute improbabilem. pag. 146.

sect. 16. An sententia *Pia* sit ita certa, vt nec physicè, nec metaphysicè possit illi subesse falsitas? pag. 157.

§. 1. Authores affirmantes ante, & post Bullam Alexandri. Ibidem.

§. 2. Statuitur hæc certitudo, eiusque prima probatio ex Patribus. pag. 159.

§. 3. Secunda probatio à rationibus. pag. 163.

§. 4. Solvuntur argumenta contraria: & exponitur quomodo comparetur certitudo sententiæ *Pie* ad certitudinem de gloria Canonizati, & Beatificati hominis? p. 171.

sect. 17. Quamam fuerit mens D. Thomæ in hac controversia? pag. 183.

§. 1. Ostenditur, D. Thomam expressè tradidisse sententiam *Piam* in primo Sentent. & alibi. Ibidem.

§. 2. Quomodo intelligendus est D. Thomas, cum toties repetit, B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali? pag. 187.

§. 3. Exponitur in speciali mens D. Thomæ: & cur Sanctus Doctor nunquam directè quæserit, an Beata Virgo sanctificata fuerit in instati animationis? pag. 191.


§. Ultimus. An iuxta S. Thomam, vt proles contrahat peccatum originale sufficiat, quòd concipiatur ex commixtione maris, & foeminae; an ulterius requiratur quòd concipiatur cum aliqua inordinatione concupiscentiæ? pag. 203.

sect. 18. Quo tempore inceperit festum Conceptionis in Ecclesia Romana celebrari, id est in tota Ecclesia Catholica ex concessione Sedis Apostolica? pag. 205.

§. 1. Pius V. nihil derogavit veritati Mysterij Conceptionis Immaculatae, dum à Breviario expunxit Officium

eium Leonardi Noguero- B. Virginis in corpus, quam  
lis. pag. 210. celebrat Ecclesia octavo De-  
sect. 19. An Conceptio cembriis, eo die contige-  
formalis, seu infusio animæ rit? pag. 218.

FINIS.



ERRA-

## ERRATA SIC CORRIGE.

**P**AG. 1. Fol. 1. *lege* Pag. 1. P. 4. lin. 12. *indiciu*, *lege* *iudiciu*. P. 17.  
 l. 31. *igitu*, *lege* *igitur*. P. 22. l. 21. *esse*, *adde*, *bona*. P. 28. l. 28. *Regi*  
*lege*, *regi*. P. 48. l. 9. *institutio rem*, *lege*, *institutionem*. P. 51. l. 24. *simu*<sup>o</sup>  
*lege*, *simu*. P. 53. l. 21. *Ecclea*, *lege*, *Ecclesia*. P. 61. l. 14. *Sinedochen*, *leo*  
*ge*, *Synechdochen*, & l. 17. *Germanus*, *lege*, *germanus*. P. 67. l. 22. *proba*  
*biliter*, *lege*, *probabilior*. P. 68. l. 9. *huiuscæ*, *lege*, *huiuscæ*. P. 69. l. 20. *cu*  
*ctæ*, *lege*, *cunctæ*. P. 71. l. 12. *Deo*, *lege*, à *Deo*, & l. 14. *secretum*, *lege*, *se*  
*cretorum*. P. 72. l. 5. *cadere*, *lege*, *ca de re*. P. 76. l. 26. *Normandia*, *lege*  
*Normannia*. P. 77. l. 5. *Joachini & Anæ*, *lege*, *Joachimi*, & *Annæ*. P. 91.  
 l. 16. *dele* *vt*. P. 98. l. 3. *Christi*, *adde*, *Fideles*. Pag. 103. l. 25. *incitandis*,  
*lege*, *in citandis*. P. 109. l. 9. *Sancta*, *lege*, *Sanctæ*. P. 116. l. 16. *suavis*, *lege*,  
*Suavis*. P. 149. l. 26. *veru*, *lege*, *verum*. P. 150. l. 4. *grandiorum*, *lege*, *gau*  
*diorum*. P. 162. l. 27. *Cælum*, *lege*, *in Cælum*. P. 168. l. 19. 24. 26. 31. &  
 33. *indiciu*, *lege*, *iudiciu*. P. 185. l. 25. *leges in eo vetulissimo*, *lege*,  
*legens in eo vetulissimo*. P. 188. l. 25. *Ecclesiæ*, *lege*, *Ecclesia*. & lin. 27.  
*suaderit*, *lege*, *suaderi*. P. 195. l. 24. *Sanctums*, *lege*, *Sanctus*. P. 201. l. 14.  
*lateer*, *lege*, *latere*. P. 204. l. 2. *concepisse*, *lege*, *concepisse*. P. 206. l. 30.  
*celebrat*, *lege*, *celebrabat*. P. 212. l. 30. *originalem*, *lege*, *originale*. Pag.  
 214. l. 23. *Parris*, *lege*, *Patre*. P. 216. l. 21. *Odine*, *lege*, *Ordine*. P. 217. l.  
 10. *celebrent*, *lege*, *celebrabant*.

*Alia menda leuiora sunt, quàm vt Lectorem morari possint.*

Conde Theobaldo, por obedecer al Papa Innocencio Segundo, le pone en su posesion; por lo qual se irrita el Rey, 473. num. 16. & seqq.  
Nuestro P. Fr. Pedro de la Ascension, General de nuestra Descalcez: obra el Señor con él, por la intercesion de nuestros Santos Padres, vn grande milagro, 594. num. 16. & seqq.

El Reverendissimo Padre Fray Pedro Mercier, General de nuestros Padres de la Observancia, impetrò de la Sagrada Congregacion de Ritos los Oficios, y Missas propias de

observancia de la piedad, no faltará la amargura de la persecucion, 474. n. 18.  
Perseverancia, es el baculo, en que estriuan todas las virtudes, 534. num. 20.

Peste, en vna que se padeciò en Segovia fueron los Religiosos Trinitarios el alivio de sus vezinos: y dieron sus vidas en esta empresa, 300. numer. 15.

San Pharon, Obispo Meldense, fue hijo de Anarico, Conde de aquel territorio, heredò el estado, y le renunciò por Christoforo: fue conagrado en Obispo,

Y.


dicen Juan cerca de Burgos,  
se divisa la Santa Cruz de  
nuestro Habito, 274. num. 5.  
La piedra en que se asentò san  
Hiacinto se convirtió en blanda  
Glla, 533. num. 17. La estatua  
de piedra, en que fue converti-  
do el que jurò falso por los  
Santos Corporales de Daro-  
ca, se conserva oy en nuestro  
Convento de esta Ciudad,  
261. num. 28.  
Piera, Villa de Cataluña, adon-  
de nuestro Padre san Juan fun-  
dò vn Convento, en el qual,  
segun antigua tradicion, se  
hospedaron Santo Domingo,

donde se fundò el Convento  
de Marsella, 199. num. 12.  
Porte, moderado de nuestro Pa-  
dre san Juan, quando, como  
Legado Apostolico, presidiò  
en el Concilio, 112. num.  
19. *Algun obispo*  
Predicacion Apostolica del Be-  
ato Fray Alexandro Sopho-  
cardio en la Corte de Escocia,  
351. num. 20.  
Predicador Insigne fue nuestro  
Padre san Juan en la Corte de  
París, 34. num. 14.  
Predicadores deben atender à su  
aprovechamiento espiritual, y  
al de sus oyentes, n. 15.

Pre-

## Indice de las cosas mas notables,

- y favoreció à san Fiaccio, 528.  
num. 7. & seqq.
- Philipo el Augusto, Rey de Francia, llamado Adeodato, emprendió con todo esfuerço la recuperacion de la Tierra Santa, 228. num. 21. Diò su permiso para fundar nuestro Convento de Paris en la Iglesia de san Maturino, 313. num. 12. & seqq. Nombrò à nuestro Padre san Juan por su Theologo, para el Concilio Lateranense, 392. num. 18.
- Philipo Segundo, Rey de España: palabras discretas, y piadosas, que dixo al vér la milagrosa, y devota Imagen del Santo Crucifixo de nuestro
- y san Francisco, 368. num. 227 & seqq.
- Pirineos, estos Montes puso la Divina Providencia por terminos entre España, y Francia, 148. num. 6.
- Pobreza, tolerada con igualdad de animo es virtud de la paciencia; pero apetecida voluntariamente, es alabanza propia de la sabiduria, 472. num. 16.
- Polidoro Virgilio escribió la Fundacion de nuestra Orden, y su principal Instituto, 65. num. 23.
- Poncio, Obispo de Tortosa, fué del Orden de san Agustín; Canonigo Reglar, y favoreció la fundacion de nuestro



LIBRO DE LOS REYES  
DE ESPAÑA  
EN EL REINADO  
DE DON ALFONSO  
XII EL JUSTICIA  
DE ARAUCAN  
DE LOS REYES  
DE ESPAÑA  
EN EL REINADO  
DE DON ALFONSO  
XII EL JUSTICIA  
DE ARAUCAN





